
RVDIMENTORVM COSMOGRAPHICORVM IOANNIS HONTERI CORONENSIS, LIBRI IIII. CARMINE Heroico conſcripti.

Quibus nunc primùm acceſſêre

INSTRVCTIONES DE SPHAERA Mundi non pœnitendæ, & ad iuniorum captum ſatis accommodatæ.

VNIVERSALIS ITEM CHRONICI COMpendium nouum: ab initio ſcilicet Mundi, in præſentem vſq; annum: ita vt & τόπου & χρόνου epi-tomen præſtare libellus poßit.



Opera MATTHIAE QVADI Chalcographi.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus VVilhelmi Lutzenkirchij.
ANNO M. DC.

OPTIMÆ SPEI ADOLESCENTVLIS, VVICKRADIANI COENO-bij ſcholaribus vniuerſis, S. P. D.

MATTHIAS QVADVS Cælator.



QVANDOQVIDEM hactenus ſæpius, ſtudioſi adoleſcentes, condiſcipulus quondam veſter Lutgerus Quadus & coram & per literas à me petierit, vt cum ſibi tum cæteris quibuſdam cõdiſcipulis ſuis operam meam locarem in tranſmittendis exemplaribus aliquot τοῦ Ἐγχειριδίου κοσμογραφικοῦ Ioannis Honteri, Carminis iſtius amœna breuitate (opinor) allectis: ſæpiſſime verò pollicitatione mea animos veſtros ſuſpenſos tenuerim. quod tamen non tam incuria mea quàm codicum inopia commiſſum eſt. Vix enim vnum aut alteram exemplar etiam diligenter mihi inquirenti offerre ſe voluit. Cùm autẽ nuper iam penè deſperato mihi fortuito codex vnus atque alter in manus perueniſſet, & quo minimè rebar, gurgite piſcis eſſet: ſatius exiſtimabam fore, typographiæ beneficio pluribus Coſmographiæ ſtudioſis ado-

lescentibus succurrere, quàm vnius Lutgeri mei sitim explere. Vobis igitur officio meo commodare studens, typographo cuidam nostro author fui, huic sese operi vt accingeret, bona spe nitens, istum suum in libello hoc excudendo laborem non planè inanem futurum. Erant quidem prototypo chartulę aliquot subiunctæ formis ligneis vtcunque eleganter incisæ; sed ad sufficientem regionum ex ijs cognitionem hauriendam parum idoneæ, vtpote in quibus præter plagarum silentium, ne miliarium quidem scalæ insertæ essent, nedum vt graduum mensuris septę fuissent. Ac fieri potest, ob id rariorem inuentu libellum fuisse, quòd imitari eum typis suis ac prelo committere typographi hactenus veriti fuerint, ne in nouarum tabellarum scalptura impendij plus locarent, quàm postmodò lucri ex eo haurirent. Cùm autem nequaquam me lateret non in monasterio tantùm vestro, sed vbiuis iam penè locorum tabularum pulcherrimarum vsum adeò frequentem esse, vt plebeiorum etiam parietes illis sæpius vestitæ conspiciantur: parum referre putaui si eas hac vice omitteremus, ne si æneis tabellis incisi regionum typi essent, pretium tenuioris fortunæ emptori grauius soluendum foret. Quamùis nec penitus omissæ sunt; dum scorsim eas imprimi cu-

mi curauimus, vt si quis easdem desiderarit, tolerabili pretio comparare facilè possit.

Ne autem altera sua veste priuatus liber, planè nudus prodiret; Institutiones quasdã Astronomicas ac Cosmographicas ex Gerhardo Mercatore, Ioachimo Fortio, & aliunde depromtas, libello affiximus: vt sic alternis lectionibus studiosa iuuentus magis afficeretur, & quod in vno obscurius, in altero se planius declararet. In ijs autem, etiamsi vt prolixiores saltem fuissemus, emolumenti non parum attulisset: tamen, cùm certi mihi à typographo termini constituti essent (tredecim namque octonariorum numerum excedere nolebat) intra metas præscriptas continere me cogebar. Et si in alterutro longiorem mihi esse placeret, id in Epitome Chronica præstare me malebat quàm in Cosmographica; quòd illius accessione materiam hanc Cosmographicam vendibiliorem fore crederet; cùm vulgus rerum gestarum cognitione magis quàm locorum delectaretur. Optabam quidem maximoperè (sicut & præceptori vestro pollicitus eram) scholijs & annotationibus marginalibus, ac commentariolis vtilibus carmen totum illustrare, singulorum quoq; librorum versus (id quod in Virgilio suo Plantinus facere consueuit) numeris suis distinguere, & neq; nouis tan-

tùm tabulis geographicis, ſed figuris etiam aſtronomicis in ære inciſis, pro ſcalpendi noſtri tenuitate, exornare: ſed quid facerem? etiamſi enim nec voluntas nec vires (Dei & bonorum autorum auxilio) defueriut; otiū tamen, otium inquam ſiue tempus id perficiendi miſero defuit, quod ijs rebus tribuendum erat quæ inopem poſſent defendere vitam. Quando igitur (inquies) tantum nanciſceris otij? tum, fauente Deo, ſi ea quæ in manibus etiamnum ſunt, abſoluta tandem fuerint. ad quæ (etiamſi ſucceſſum rebus ſatis felicem Dominus largitus fuerit) integri penè anni ſpatium requiretur. Malumus idcirco in poſterum aut nihil aut parum promittere, & ea quæ propoſita nobis ſunt, prima data occaſione præſtare, quàm iterata promiſſione, inani vos ſpe lactare. Præſentem autē libellum vobis, ſtudioſa cohors, commendo, vt non amœnum tantum, ſed ad plurima etiam vtilem: eumq́ue ſi viſum ita fuerit ediſcite, vel ſaltem ſępius peruoluite, cùm iſtam animi recreationem citra moleſtiam ſeu peregrinantes ſeu deambulantes quôlibet circumferre liceat. Aſtronomiæ & Coſmographiæ cognitio quid vtilitatis adferat, ſuperfluum videbitur pluribus demonſtrare, cùm argumenti ſatis eſſe poſſit quod liberalium artium vna ſit. & quid ingenuæ iuuentuti

lauda-

laudabilius ac fructuosius esse queat, nisi earum singulas ita callere, vt vni tantum operam dedisse videaris. Egregio enim oratori aut poetæ futuro cum primis necessariæ formæ loquendi, disserendi, dicendi. Grammatice aditum præbet ad alias artes; quo si careamus, cæci per omnes disciplinas aberrabimus, nullam vnquam optimarum pulcherrimarumque rerum cognitionem consecuturi. Dialectice docendi modum exprimit: Rhetorice eloquendi; ad hanc memoriæ artificium pertinet. Græca lingua adeò necessaria, vt vix quisquam eruditus haberi queat qui eam ignorauerit. Nec omittendæ historiæ; præstant enim & copiam orationis, & rerum experientiam etiam domi delitescenti. Mathematicæ artes simul dignitate pollent sua, tractant enim rerum sublimium descriptiones, & ad orationis varietatem multum faciunt. Astronomia legem naturamque docet eorum quæ ab extremo circuitu Mundi vsque ad elementa sunt, hoc est penè orbem vniuersum. in Cœlo situm monstrat Helices, Cynosuræ, Βοώτου, Erichthonij, Capræ, Vergiliarum, Hyadum, Argus, Canopi, Syrij: quorum ortu obituque tempora omnia describuntur. Ex ea proficiscitur Astrologia, Medicis magis, præcipuè

ad venas scindendas. & decretorios dies, quã nostris studijs necessaria. Cosmographia autem demonstrat zonas, climata, parallelos, antœcos, periœcos, antichthones, amphiscios, periscios, heteroscios, lõgitudinem vrbium latitudinemque, hoc est, quot ipsæ horis absint ab Occasu, quot Cæli partibus ab Aequatore. Geographia cognitu facilior, constat enim sola locorum commemoratione, id duntaxat indicans, vbi Tanais, Nilus, Tigris, Euphrates, Andros, Scythæ, Persę, Arabes, sine vlla mentione Cœli, sine circulorum, latitudinis, longitudinis, vmbrarum, zonarumque descriptione. Geometria terrarum mensuras tradit, hoc modo, Si quadrata forma oram habeat viginti pedum, intus esse viginti quinque. si cuneatus ager longus fuerit pedes 50. latus ex vna parte pedes 37. ex altera 9. aream esse pedum 1150. idque deprehendi quæsito ex imparibus numeris medio, ductoque in longitudinem. In collibus vallibus plus Soli esse quàm Celi. &c. atque hæc ars solâ arithmetica fulcitur. Quantum hæc omnia ad stili prosint ornamentũ, videre licet cum in locis permultis, tum in Ciceronis operibus de vniuersitate, de Natura Deorum, de Diuinatione, de somnio Scipionis: in Quintiliani capite de agrorum mensura: in Virgilij Georgicis: Ouidij Fastis

&

& Metamorphoſi: denique in Lucano. Egregius itaque nunquam futurus eſt, qui non ex vnaquaque diſciplina decerpſerit, quod ad ſcopum ſuum conferat. Feliciter autem ſtudia inſtituent, qui ante omnia è doctis autoribus artium cognitionem, hoc eſt, materiá ſeu inſtrumẽta ſcribendi ſibi comparauerint. Illud denique vos rogauerim, vt ſi vel noſtra vel typographi præcipitantia aut incuria erratum alicubi fuerit, aut veſtro Marte aut præceptoris veſtri emendare iſtud nó grauemini, præcipuè cùm vos non lateat Matthiæ veſtri res non ferre exquiſitam aut ſcriptorum ſuorum aut cælaturarum elimationem; ſed quæ ſemel impreſſoribus tradita ſunt, ipſorum poſtea diligentiæ, qualiſcunque ea euenerit, committi. Valete, & præceptorem eruditionis ac maximè ſalutis veſtrę ſtudioſiſſimum qua par eſt obſeruantia colite. Coloniæ, ex Muſæolo noſtro cælatorio. Cal. Non. anno ſalutis noſtræ 1599.

ΔΩΔΕΚΑΣΤΙΧΟΝ AD Lectorem.

PRodijt, en Lector, longo vix tempore visus,
Honteri raræ sedulitatis opus.
Quem longinqua virum Septemcastrensibus oris,
Annis permultis antè Corona dedit.
Si visum, lectumve prius, mercaberis vltrò
Sat scio: si nunquam, voce monentis eme.
Quid nummus loculis, firmave reclusus in arca,
Sit licet immensus, commoditatis habet?
Vel minimum densis tandem deprome latebris,
Atque tuum facies, quo doceare, librum.
Hic rerum quarumq́ recepta vocabula, Cœli
Totius hic partes conuenienter habes.
Hic Asiæ, Lybiæ, Europæq́ videre fluenta,
Vrbes, & montes cum breuitate licet.
Hocce nouum? dicas, hoc admirabile? plena
Talibus est quæuis Bibliotheca libris.
Erras, crede mihi, simile huic reperirier vsquam
Inductus falsa si ratione putas.
Non tibi prosa datur; sed carmen ab arte politum,
Dignum quod memori mente sciatur, adest.
Quin compendiolum, paucis vt singula dicam,
Carmine descriptum rite, Geographicum.
Cui scholion, tabulæq́ nouæ, noua lectio primùm
Nunc accessit, eme, & perlege, certus eris.

Ioannes Buchlerus Gladbacensis, scholæ VVicradianæ moderator.

SEQVVN-

SEQVVNTVR ENCOMIA ALIQVOT ARTIS Astronomicæ & Cosmographicæ.

Naturæ Deus impreßit vestigia toti,
Quam latè roseis Phœbus oberrat equis.
Vt velut in vasto, populo spectante, theatro
Ante oculos dextræ poneret acta suæ.
Ac iubet arcanas rerum nos quærere causas,
Et quas tanta vices machina cunq; tenet.
Ne casu temerè sic confluxisse putemus,
Quæ certis opifex legibus ire iubet.
Aspicis vt dirimat partes in quattuor annum
Obliquo ducens tramite Phœbus equos.
Vt modò det luci, nocti quæ tempora demit,
Surgat & Eois vt modò tardus aquis.
Vtq; suæ radios nunc augeat ille sororis,
Nunc faciat parua falce micare caput.
Cernis & vt, p ceæm terræ cùm Luna sub vmbram
Inciderit, tectis mœsta laboret equis.
Vtq; eadem inuoluat densa caligine fratrem
Subiecto nitidum cùm tegit orbe caput.
Non sic ambiguo voluuntur sydera casu,
Nec nuda hoc tantum mens moderatur opus.
Ista creatricis sed sunt vestigia mentis,
Quæ stellis regit hæc inferiora suis.
Quæ sua temporibus sic interualla creauit,
Omnibus incolumis rebus vt vsus eat.

Sit

Si te tantarum fugit admiratio rerum,
Et si vile tibi talia nosse putas:
Credidero certè tua quòd Titania Circe
Pectora setigeri fecerit esse suis.
Ergo vices Cœli, Cœlo cum semina ducas,
Et patriæ motus disce, iuuenta, tuæ.
Has artes, ceu dona Dei, reuerenter habeto,
Quæ vaga cum certis motibus astra docent.
Et quoties pulchrum vel cernis Orionis ensem
Parrhasiæve vides lucida signa feræ,
Errantumve notas loca, fixaq; sydera Cœlo,
Sis memor Autoris, qui regit ista, Dei.
Vsque adeò à magna, dicas, sunt omnia mente
Condita, nec nullis legibus astra meant.
Ingenij non sunt humani viribus ista
Eruta, sed summi munere nota Dei.
Excitat ingenuis Heroas in artibus ille
Nec mersas tenebris, quas dedit, esse sinit.
Plurima quapropter si quis bene commoda spectet,
Debetur doctis gratia magna viris.
Ingenio quorum vigili contexta leguntur
Passim de rebus tot monumenta bonis.
Nec tuus eximio labor est non dignus honore
HONTER Apollinei gloria magna chori:
Dum pulchram ingentis Cœli Terræq; figuram
Succincta Iuuenes dexteritate doces.

Ortolphus Marolt
Francus.

DES.

DES. ERASMI ROTERODAMI, IN INSTITUTIONES Astronomicas Epigramma, Honteri libello accommodatum.

SI cupis astrigeri primordia discere Mundi,
Ac mox æthereos implexos orbibus orbes,
Deniq; quàm vario cinctu, quæ ducitur arte
Linea, conuexi spatium secet; hæc age pubes
Perlege, quæ Honteri primo tibi cura libello
Tradidit, ac facilem patefecit ad ardua callem.
Surrige te, qui repis humi, patriamq; reuise.
Astra leuis repete astra, genus qui ducis ab astris.

ALIUD IOANNIS OPERINI.

QUI cupis astrorum varios perdiscere vultus,
Quæ Mundi ætates, quæve sit effigies.
Quem peragat Phœbus, nec non vaga Delia cursum,
Quot signa atque orbes, signiferiq; gradus.
Quæve sit horarum ratio, quæ puncta, diesq;,
Quo pacto exsurgant sydera, quoque ruant.
Quidve sit Arcturi, nutrixq; Capella, Canopus:
Et Musæ, atque Helice, Arctophylaxq; Canis:
Et quæ Pleiades, Hyades, Cynosura, Triones,
Quem natura sagax seruet vbique modum,
Huc properes, nec te moueat quia parua videntur:
Sæpe ingens paruis gratia rebus inest.

ALIUD

Quando vehat lucem terris, quo tempore rursus
Prona sub Oceani stella feratur aquas.
Abdita cur lateat velato Cynthia vultu,
Qua tegat auricomum sol ratione iubar.
Qui non tanta semel miracula suspicit, ille
Aeternum vt careat lumine, dignus erit.

GEOMETRIA LOQVITVR.

DOctus ab officio mihi dat Geometria nomen,
Quòd loca terrarum metior, atq; situs.
Altera, qua Cœlum conscenditur, ala Platonis,
Quæ dubias animi firma guberno notas.
Angulus ad normam, sub amussim linea spectat,
Circinus obseruat puncta, rotatq; globum.
His ego principijs miras speculata figuras,
Præsentem monstro rebus adesse Deum.
Qui simul hanc alijs adiunxerit artibus artem,
Is docti meruit nomen habere viri.

Frid. VVeidebr.

IOANNI HONTERO.

DElicium terræ Batauûm gẽs laudet Erasmum,
Agricolam Phrysius cantet, in astra ferat:
Barlandos referat nunc clara Zelandia doctos,
Lipsius & magnum sit decus vsque suis:
Honterus nobis placeat, dociliq; iuuentæ,
Ediderit quamuis barbara terra virum.
Pierides vestrum decus hoc redamate sorores,
Pieridum decus hoc vos redamate viri.

RVDI.

ALIVD.

SEdulus Homeri lector studiose libellum
Si verses, planè commoda multa feres.
Nam docet æthereos certa ratione meatus,
Quo quæq; exurgat stella, cadatve loco.
Vix breuius quisquā atq; eadem tam scripsit acutè:
Magna sub exiguo corpore Gaza latet.

ALIVD.

HVC vortat facilem gradum,
Si quem celsa iuuat sydera persequi.
Qua Natura potentia,
Et Mundum, & varias condiderit vices.
Quis Musas variet modus,
Quæve Atlantiades, Vergiliæ, Canes:
Omninò hic mage candido,
Quàm si bella legas, ingenio est opus.
Sed nec conferat huc pedem
Terrenis animum fractus amoribus.
Sunt hæc libera, liberos
Exquirunt animos, candida pectora,
Summa: hic fungus aget nihil,
Tantùm hæc ingenijs nobilibus patent.

ASTRONOMIA LOQVITVR.

PRima quod astrorum leges, motusq; notaui,
Nomen conueniens Astronomia gero.
Hora, dies, mensis, Duce me, describitur annus,
Quæq; fluunt anni quatuor inde vices.
Sydera contemplor, quæ Cœlum fixa sequantur,
Quæ tacito surgant obuia nixa gradu.

Quam-

RVDIMENTORVM COSMOGRAPHICORVM IOANNIS HONTERI CORONENSIS.

LIBER PRIMVS.



OELORVM partes, stellas cum flatibus, Vrbes,
Regnaq; cum populis, sparsas & in aequore terras,
Montesq; & fluuios, iunctisq; animalia plantis:
Officia, & sectas varias, operumq; labores,
Morborumq; simul species & nomina dicam.
Mundus in aethereum, qui desuper imminet Orbi,
Inq; elementorum duplicatur corpora primum.
Aethereus duplices sphaerarum continet orbes,
Fixaq; cum septem stellis errantibus astra.
Maiores cycli, qui Mundum partibus aequis
Distribuunt, vt signifer aequatorq; feruntur:
Quemque dies medius designat, & imus horizon,
Lacteus, ac duo qui ducuntur ab axe coluri.
Zodiacus primum bissenis vndique signis
Conspicuus, tropicum attingens obliquus vtrinque
A summo Cancrum, Capricornum cernit ab imo.
At qui signiferum rectus secat, inq; priori
Lanigeri Libraeq; gradu lucem aequat & vmbras,

Hanc nos incolimus contraq; Antichtones illam.
Nec dubium antipodes multis consistere terra
Partibus, ad centrum directis vndique plantis.
Puncta duo Cœlum in paruos vbi voluitur orbes,
Constituere polos, geminoque ac cardine Mundi
Per centrum terra tenuis deducitur axis.
Signifer hinc bissex obliquat sidera, quorum
Sex videt ad Boream, sex æquidialis ad Austrum
Ter denis gradibus signum distinguitur vnum
Bis tricena gradus memoratur habere munita.
Atqui signorum varia est natura genusque,
Mascula sunt, Aries, Gemini, Leo, Libra, Sagitta,
Fusor aquæ, iunctumq; simul sortita calorem.
At sibi fœmineam consciscunt frigida sortem,
Bos, Cancer, Virgo, Capricornus, Scorpio, Pisces.
Frigida sunt nocti, sed mascula sacra diei.
Ipsaq; bis anni variantur tempora signis.
Nanque Aries; Taurus, Gemini, sunt sidera Veris:
Aestatem Cancer, Leo trux cum Virgine complent:
Scorpius Autumnum, & duplici cum lance sagitta:
Inde Hyemem Pisces, Capricornus, Aquarius addũt.
Restat adhuc eadem ternis proportio signis:
Ignea triplicitas Aries, feruens Leo, Chiron:
Terrea sed Taurus, Virgo et Capricornus habentur:
Aeream sortem Chelæ, Vrniger atque Gemelli:
Scorpius appropriat, Piscesq; & Cancer aquosam.
Denique cum vegetet communis corpora virtus,
Singula membra tamẽ quoduis sibi vendicat astrũ:
Quippe Aries capiti, Taurus ceruicibus hæret,

Brachia sub geminis censentur, pectora cancro.
Sorte regit scapulas leo, ventrem atque ilia Virgo,
Libra tenet lumbos, & scorpius inguine regnat,
Arcitenens femori, genibus Capricornus amator,
Cruraq́; Fusor aquæ reficit, vestigia pisces.
Et quoniam variæ currentes ordine stellæ
Corporis æquales spacio, similesq́; colore,
Haud internosci poterant, solertia sparsas
Struxit in effigiem & variarum membra ferarum.
Imposuitq́; simul iunctis cognomina stellis.
Ad Boream geminas ingens Draco diuidit Arctos.
Hinc subit Arctophylax pariterq́; Corona, Lyraq́;
Proximus Engonasis: post hunc Ophiuchus et Anguis
Mox Aquila & Telum surgunt, & lactea Cygni
Sidera, Pegasus hinc sequitur Delphina, simulq́;
Andromade, Cepheusq́; & Cassiopea parentes,
Armatusq́; gener Perseus: circum ora Medusæ
Horrida, Deltoton simul Heniochusq́; feruntur,
Hinc Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq́;, Scorpius, Arcitenens, Caper, Hydria, Pisces.
Cetus & Eridanus post hæc vortuntur ad Austrum,
Orionsq́; premens Leporem, Procyonq́; refulgens,
Inde Canis maior stellataq́; cernitur Argo,
Perq́; trium loca signorum se porrigit Hydra,
Craterem dorso gestans, Coruumq́; loquacem.
Hic Fera Centauro resupina tenetur, at vltra
Thuribulum, notiæ Piscis fugit astra Corona.
Sunt etiam propriæ dictorum sidera partes:
Pleiades in dorso Tauri sex esse feruntur,

Fron-

Fronte sedent Hyades, fundendis imbribus aptæ,
Inde Propus pedibus geminorum praua, sed quæ
In cancro nubem referunt, Præsepe vocantur,
Moxq́ue duo circum Præsepe feruntur Aselli.
Regia stella nitet generosi in corde Leonis,
Virginis in summa gestatur Spica sinistra,
Sed Protygeta subit prope dextram Virginis alam,
Quatuor in dextra quæ conspiciuntur Aquari,
Vrnam: at quæ pisces connectunt, Vincula dicunt,
Nodus inest Vinclo: pedibus subiecta Bootæ
Arcturi stella insequitur Plaustrumq́ue, bouesq́ue,
Postremas Helices stellas: humeroq́ue sinistro
Heniochi residet sidus pluuiale Capellæ,
Inq́ue manu læua geminus discernitur Hœdus.
Astargo in summa micat inclyta stella Canopi,
Sirius inde Canis fixus maioris in ore.
Hinc tibi per medium septem decliue feruntur,
Saturnus, Sol, Luna, Venus, Mars, Iupiter, Hermes
Fixa quidem toto circumuoluuntur Olympo
Sidera, sed proprios retinent errantia motus:
Semper enim currunt fixis contraria stellis,
Atque domos habitant bissena per astra, suasq́ue
Exercent illic proprio quisque ordine vires.
Luna tenet Cancrum, Geminos cum Virginis astro
Mercurius, Tauro & Chelis Venus ipsa quiescit.
Feruidus inde Leo Soli, sed Scorpius ardens
Atque Aries Marti cedunt: hinc piscis vterque
Centaurusq́ue Iouem, Saturnum Fusor aquarum
Rectorem agnoscit, simul Ægocerotis & astrum.

At planetarum in rapidis distantia signis
Dicitur aspectus, quo se impediuntq́, iuuantq́.
Cum duo planetæ alterutris distare videntur
Sextam Signiferi partem, vel per duo signa,
Aspectus fertur sexangulus: at tria quartam
Zodiaci partem cum stant per signa planetæ,
Conspicitur facies quadrangula: tertia sed pars
Signiferi, reddit per quattuor astra Trigonum.
Denique per mediam contraria sidera partem
Eminus aspectum soliti firmare planetæ:
Ac certis spacijs concurrere rursus eodem
In signo, quoties superi obscurantur ab imis.
Sunt etiam aduersa gemini se parte secantes
Orbes, quos faciunt Solis Lunæq́, meatus:
Sectio qua Phœbe gelidas ascendit ad Arctos,
Hæc eadem caput est: sed & altera cauda draconis,
Qua Luna imbriferum cursu descendit ad Austrũ.
Accipe quo spacio perlustrent signa planetæ:
Saturnus cursum duodena per astra rotatum
Motu retrogrado terdenis conficit annis.
Bissenisq́, Iouis bissena perambulat astra
Sidus: at ipse duos graditur Mars amplius annos.
Sol in se sua per vestigia colligit annum.
Signa Venus, dubiusq́, anno minus amplius Hermes
Sed bis quindenis percurrit Luna diebus.
Hinc ortum triplicem nobis posuere priores,
Quæ stellæ ascendunt, obituq́, sub æquora pergunt.
Cosmicus exorto stellas cum Sole reducit,
Cum simul aduersa tingunt se Tethyos vndis

Occi-

Occiduo Chronicus surgentes cernit horizon
Sole & in opposita stellas regione cadentes.
Quin vbi Phœbus equis summo procul axe recessit,
Incipiunt stellæ sensim apparere minores.
Mox cum Sol proprior flammis opera omnia lustrat
Astra polo fugiunt, quorum simul agmina cogit
Lucifer & Cœli statione nouissimus exit.
Vt stellæ in longum primo distare videntur
Arietis à puncto, sic has ecclíptica monstrat
Linea signiferi in latum cessisse. Per axem
Et fortunatas quæ transit linea terras,
Inde quidem trahitur distantia longa locorum.
Sed spacium latum est, quod ab Aequatore recedit,
Atque poli gradibus respondet vbique leuati.
Declinat sidus, cum distat ab æquidiali,
Eleuat ex imo quod in altum mittit horizon.
Messembrinorum quiuis semisse recepto,
Quindeniúe gradus, respondent protinus horæ
Vnius spacio: sex & triginta feruntur.
Quisque gradus denos retinet, quantoq; recedit
Longius à medio noctes æquante diesq;
Orbe, magis coiens geminum decrescit ad axem,
Aestiuosq; dies numerosis explicat horis.
At gradus in longum, sub cyclo scilicet æquo:
In latum, stadijs respondet vbique locorum
Quingentis, quorum spacia hæc tibi carmina signãt,
(Quatuor è granis digitus formabitur vnus.
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus:
Quinq; pedes passum faciunt, passus quoque centum

Quinque & viceni stadium dant: sed miliare
Octo dabunt stadia, & duplatum dat tibi leucam.)
Milleq́ bis decies passus nunc iura diurnum
Constituere viæ spacium: miliaria fortè
Quatuor exiguoue minus nostratia reddunt.
Inferior mundus tellure & aqua, aere & igne,
Dicitur ex primis rerum consistere causis:
Ex quibus assiduis vicibus modo cuncta creantur,
In quæ iterum, quicquid natum est, natura resoluit:
Aeris æthereo vis est stabilita sub igne,
Quæ sibi dissimilis triplici regione notatur,
Summa calet, media est gelidissima, proxima vtrunque
Aestatem ac frigus diuerso tempore sentit.
Quippe vapor duplex ascendit in aera, primus,
Crassus & humidior propria grauitate tenetur:
Aridus atque calens sine pondere prosilit alter
Ex humente quidem concrescere sæpe feruntur
Hybernæq́ niues, matutinæq́ pruinæ,
Largior & crassis descendens nubibus imber,
Roresq́ nebulæq́ & mista grandine nimbi.
E sicco alterna generantur sorte vapore,
Fulgura cum tonitru, rapidi cum fulmine venti.
Nomina ventorum posthac patriamq́ docebo:
Quattuor oppositis veniunt è partibus orbis.
Quos circum varij dextra læuaq́ feruntur,
Impelluntq́ leues aduersis flatibus auras.
Frigidus à summo descendit Aparctias axe,
Circius ad Zephyrum, Boreas hus cingit ad Ortum.
Auster

Auster ab aduerso pluuias inducit Olympo,
Ab Lybe qui dictum, dictum quoq; spectat ab Euro.
Insuper & verno flat Subsolanus ab Ortu,
Solstitium huic sociat retrahentem nubila ventum.
Brumalesq; tropæ violentum flatibus Eurum.
Occiduo Zephyrus de cardine spirat, & ipsum
Africus hyberno contingit Sole cadente,
At simul Argestes æstiuo solstitiali.

Tempus & ad solidam propius descendere terrā,
Quæ centro in medio penitus firmata quiescit.
At circum roseis Sol vectus vbique quadrigis
Exortu lucem, discessu procreat vmbram.
Ecclipsimq; facit, si quando corpora Lunæ
Obiectu terræ radijs intacta relinquit.
Oppositisq; leuem pingit sub nubibus Irim.
Nec dum etiam solitas diuersis mensibus anni
Continuare vices, variasq; nouare locorum
Perpetuò cessat motus discrimine formas.

Longa parallelis est subdita terra duobus,
Vnde dies mediam ab reliqua distinguitur horam.
Climaq; in oppositis memoratur partibus Orbis.
Atque hinc per Meroen, per Niloticamq; Syenem,
Et per Alexandri, Rhodij quoque Apollinis vrbes,
Perq; Hellespontum atq; Borysthenis ostia currunt,
Ripheasq; arces, quibus additur vltima Thule.
Inde per antithesim contraria climata longas
Imparibus spacijs variant noctesq; diesq;.
Quinetiam tellus varia ratione vocatur,
Insula, Continuum simul & Peninsula, & Isthmus.

Aequoreos itidem fluctus, quibus additus orbis,
Oceanum appellant, pelagusq; sinumq; fretumq;.

RVDIMENTORVM COSMOGRAPHICORVM.

LIBER SECVNDVS.

NVne quoq; terrarũ triplices pecurrere partes,
Europæ, pariterquẽ Asiæ, Lybiæquẽ calentis
Aggrediar, priscis miscens noua nomina regnis.
Nanque velut rerum cursus sub Sole per orbem
Incertis vicibus nunc huc, nunc fluctuat illuc,
Nec retinere valet stabilem per secula sortem:
Sic olim indigenis bello, fame, peste fugatis,
Nomina sæpe nouis sunt commutata colonis.
Finibus Europæ clauduntur Iberica regna,
Quæ prima Oceanum spectant, solemquẽ cadentem,
Hinc sursum versus Borealia littora Galli,
Germaniquẽ tenent, & gentes Sauromatarum,
Quæ Scytiam partim contingunt Solis ab ortu:
At Scythiam Thraces opibus belloquẽ superbi,
Et Macedum quondam clarissima regna sequuntur,
Græcia dehinc notum longè procurrit ad axem,
Cui Peloponnesus bimari coniungitur Isthmo.
Hinc procul Ionios exceptans margine fluctus
Adrias, Illyricis Italos seiungit ab aruis.
Europæ medium Dacorum regna tenent: mox,
Pannonia tellus vicinis iuncta Polonis,

Vnde

Vndique terrificis premitur nimis obuia bellis.
Principioqúe triplex Hispania continet vrbes,
Bætica quas posuit, quæ nunc Granata vocatur:
Quasqúe Tagus spectat per Lusitanica regna,
Quæ modo Castiliæ mutato nomine tellus,
Gallicia simul & Portugallensis habetur.
Et quas præcipiti cursu pertransit Iberus,
Qui per Nauarram Tarraconensia rura
Obliquus fugiens, pelagi coniungitur vndis.
Corduba principio præpollet, & Hispalis vrbes,
Priscaqúe Tarcessus, Paxiulia, Compostella,
Hinc & Vlyssipo simul & Salmantica, moxqúe
Illipulæ magnæ & geminæ Carthaginis arces.
Toletum, infelixqúe olim Numantia, Burgis,
Mœniaqúe Emeritæ, & Gallis vicina Gerunda.
Tum Pompeiopolisqúe Augustaqúe Cæsaris, atque
Tarraco, quæ nomen citimo dedit inclyta regno.
His iungas veterem cum Barchinone Saguntum,
Dertosamqúe, vrbemqúe Valentis nomine dictam,
Ac plures alias, vbi non obscura feruntur
Flumina: & Hesperio recludunt ostia ponto,
Bætis, Anas, Doriæqúe simul Miniqúe fluenta,
Et Tagus auriferis paßim fœcundus arenis,
Hic Sacrum, Nerium, promontoriumqúe Trileuce
Oceano incumbunt: pelago Scombraria, Calpe,
Quæ sociam spectat trans æquora stricta columnã.
Gallica Pyrene sublimi vertice regna
Hispanis terris discernit solis ab ortu,
Quatuor in partes diuisa: Aquitania prima est.
Celti-

Celtica quam sequitur: sed Belgica Narbonensem
Desuper arctois submotam spectat ab oris.
Has nunc alternis vicibus tenuere minores,
Gasconij, Turonensesq́;, nouiq́; Britanni,
Normandi, Franci, Burbonenses & Auerni,
Picardi Flandriq́;, Hanones, ditesq́; Brabanti,
Campaniq́;, & quos Burgundia prisca Sabaudis,
Ac Delphinatus pariterq́; Prouincia iungunt.
Verum Aquitanorũ celebres memorabimus vrbes:
Primaq́; Burdegala est, post hãc Genebũq́; tenetur,
Et Turonensis tellus, & Auaricon, Andes.
Lutetiam inde colunt, & Lugdunensia Celta
Mœnia, sed cessit Rotomagus in ordine Belgis,
Et Gandauorum populi, ciuesq́; Louani.
Tullion hinc Lotharingorum atque Metensia rura
Intermixta manent Germanis vndique terris.
Cis Rhodanum Auenion iacet, Allobrogumq́; Vienna:
Mox Arelas Geneuaq́; lacus, Visontion, atque
Massilia externis quondam constructa colonis.
Vlterior Narbo, Mons pessulus atque Tolosa.
Sequana post Mosam, Ligeris, fluuiusq́; Garumna,
Oceani repetunt diuersa per ostia fluctus.
In medium pelagus concordi fluminis alueo
Ipse Araris Rhodanusq́;, Isara, atque Druentia currunt.

Germanas etiam terras prope flumina Rheni,
Atque alias alio iungam sub Sole iacentes.
Occiduas partes gens martia Germanorum

Helue-

Heluetij, simul & Vasti colit incola regni:
Moxq́; Sicambrorum populi, cultiq́; Bataui.
Cimbrica cum Frisiis Septem subiecta trioni.
Chersonesus habet Pomeranos proxima saltus.
Slesia ad roseos Solis consurgit ad ortus.
Inde Morauorum transgressus rura, videbis
Austriacos colles & campos vitibus aptos.
At Styriæ scopuli, rarisq́; Carinthia campis
Australes, tangunt Athesina cacumina: moxq́;
Heluetiæ summis æquandæ nubibus Alpes,
Quator in partes alio currentia fundunt
Flumina, Danubium, Rhenum, Rhodanumq́; Padumq́;.
Interiora tenent diuersis Teutones arua
Nominibus, iuxta Hercyniam cultissima syluam
Rhœtia Vindelicos VVirtembergensibus agris
Diuidit: Alsatiam post hos Franconia iungit
Hessorum populis: quum & Turingia Misnæ
Saxonas ac Marchos sociat, sed Norica tangit
Oppida continuis munita Boemia syluis.
Trans Rhenum celebris Constantia prima tenetur,
Mox Basilea, simulq́; Argentinensia rura.
Treueris inde vetus Maguntinensibus aruis
Iungit Aquisgranum, Agrippinensesq́; colonos.
Geldria, Traiectum, pariterq́; Antuerpia magno
Vicina Oceano, cis Rhenum plurima passim
Oppida respiciunt Frysiorum ac VVestphala rura.
Lipsia Brunsuigam gelidas hinc spectat ad Arctos,
Cassiliam ad Zephyrū, disiunctos rursus ad amnes

Mins

Hinc atque hinc geminam Francfurti diſpicit vrbem.
Aſt Erfordenſi ſuccedit proxima tractu
Herbipolis,ſimul & vicinior Vlma Tubingæ.
Norica metropolis poſt has,& Praga ſequuntur,
Breslaq́, Lubecumq́, ac VVittemberga:ſed vltra
Danubium,tepidoqúe habitata propinquius Auſtro,
Græzia,Villacumqúe,Oeniqúe cacumina pontis,
Hisqúe Salisburgam ſocies,pulchramqúe Viennā,
Cumqúe Ratiſpona Monachū:dehinc Vindelicorū
Auguſtam placet,& Patauinas addere ripas.
His quoque largiflui fontes miſcentur & amnes.
Ad boream currunt Amaſus,Viſurgis & Albis,
Rhenus,& hinc Odera,ac popularis vtriq́, Sueuus:
Danubius reliquos ſecum deducit ad Ortum.
At nunc Sarmaticos campos Scythiamqúe niualem
Cis Tanaim fluuium & Mæotidis ampla paludis
Aequora,ſub ſtellis geminæ luſtrabimus Vrſæ.
Hanc terram primùm veteres coluere Agathyrſi,
Et cum Thyſſagetis Nomades,rigidiqúe Georgi,
Quin & Hamaxobij plauſtris ſine ſede vagantes,
Baſternæqúe,Getæqúe,ſagittiferiqúe Geloni.
Inſuper Euxino propior gens Taurica Ponto,
Taurica ſupra alias quondam ſæuiſsima gentes:
Sed cultus terræ poſtremis mitior annis
Contigit.Heſperiam partem zephyrisq́, propinquā
Nunc propria duplices retinent ditione Poloni,
Et quæ Sarmatico coniuncta eſt Pruſsia ponto.
At Maſſonitas ſimul & Samogitia rura,

Ad boream accliui sequitur Liuonia tractu.
Nec procul Hippophagis affinis Rußia Moschis,
Iunctaqúe Lithuanos tangit Podolia saltus.
Est etiam extremo quædam sub cardine tellus,
Ac Noriuegorum glaciali proxima ponto
Littora & indomitis contermina Suetia Gottis,
Scanorumqúe rigens Arctoo frigore tractus.
Sed tamen & Cœlo propiora fruuntur iniquo
Oppida, Riphæis nimis infestata pruinis.
Atque ideo raræ indigenis cultoribus vrbes,
Quas inter celebris Posnania prima Plocenses
Dantiscosqúe pari discernit limite campos.
Inde Toronensi Mons regius additur vrbi,
Moxq́; propinqua Rigæ Marieburgensibus agris
Littora, Sarmaticiqúe caput Cracouia regni.
Quin & Lublina sociata Premislia terræ,
Vilna quoq; & propior Leoburga tepentibus Austris.
Istula præterea, liquidiqúe Borysthenis vnda.
Pluraq́; per Scythicas currunt sine nomine terras
Flumina, stagnantesqúe augent remorata paludes.
Sed iam tempus erit propiores visere partes,
Pannoniam, Illyriamqúe simul, Thracemq́; cruenti
Mauortis patriam, nimium nimiumqúe propinquos
Dalmatiæ fines, vastatamqúe vndique Bosnam.
Mysorum inde solū, Dacorumqúe oppida: quæ nunc
Moldauiqúe tenent, transalpiniqúe Valachi.
Et quæ Carpathio Septem circundedit arces
Vertice, Bulgaricis modò Transyluania terris
Haud multum disclusa. Sed enumerabimus vrbes:
Regia

Regia Budensis prima est, mox Agria, post quam
Cremnicia montes, Posonerfiaq; arua sequuntur,
Et cum Strigonicis Cassouia prisca colonis.
His quoq; Bellogradu, & regalem iungimus Albam,
Emporiumq; simul Varadini, atque alta Cibini
Mœnia, præcipitiq; sitam sub monte Coronam,
Quā primā Europæ Christi documenta sequentem
Sol oriens radijs lustrat propioribus vrbem.
Mox Adrianopolis Sophiæ vicinior aruis,
Nicopolisq; triplex iacet, & Selymbria, Varna:
Inde Liburnorum Scardona, simulq; Ragusi,
Quæq; tenent Ponti Byzantia littora fauces.
Quid memorem Anchialonq;, Heracleamq;, Perinthumq;
Abderamq;, Maroneamq;, & Olynthon, & Aenon,
Callipolimq;, & quæ sociant freta Seston Abydo,
Atque alias, quarum iam nil nisi nomina restant?
Imò etiam patrijs nunc vix hæremus in oris.
Non tamen antiqui desunt regionibus amnes.
Danubius secum defert Oenumq; Lycumq;,
Germanos fluuios: sed aquæ septemplicis Istri
Nomine mutato decliuibus vndique ripis
Præcipitem Drauum ac Sauum, placidumq; Tibiscum,
Et patrium simul in Pontum comitantur Aluthani.
Strymonis Aegæo, Nessiq; Hebriq; fluenta
Miscentur pelago. Montes quoque partibus illis,
Ismarus & Rodope, coniunctusq; Orbelus Hæmo,
Et qui Dalmaticis late discernit ab oris

Raf-

Rascenses populos sinuoso vertice Scardus.
Vlterior Macedum tellus, quondam inclyta regna,
Continet Albanos, mox Pæones atque Pelasgos
Aemathiæ campos quoque, Mygdoniæq́; recessus.
Has prope Thessalicis Magnesia iungitur agris,
Doris item spectat Locrensia rura, sed vltra
Proximat Aonijs Phocensis & Attica tellus.
Trans Isthmum Aetoli simul & vicinus Acarnan,
Epeirusq́; iacet, varijs distincta colonis.
Atque hæc prisca quidem, nunc Turcia tota vocatur.
Helladis at vix dum vestigia parua supersunt.
Quin igitur veteres potiùs celebrabimus vrbes:
Primaq́; Dyrrachium est, vrbisq́; ab Apolline dicta
Mœnia, Pieriaq́; domus gratissima Musis.
Hinc Hypatæ, Phthiæq́; & Larissæa sequuntur
Oppida, mox & Opûs, & Pella insignis alumnis,
Et quæ prima fidem nostrum diffudit in orbem,
Amphipolisq́; simul, nec non Berrœa, Philippiq́;.
Et Thebæ Baccho celebres, & Apolline Delphi:
Aulidis hinc portus, Megara & cerealis Eleusis,
Tum proprium Diuæ cognomen & vrbis Athenæ.
His quoque Naupactum, Anticyram, & Calydonia rura
Leucadaq́;, Ambraciamq́; simul, glandisq́; feracem
Dodonam, & celsam Buthroti iungimus vrbem.
Per Macedûm fines pelagi petit Axius vndas,
Nec procul & Chabrius rapidiq́; Haliacmonis amnis,

Sperchij Ismeniq; vadum, Cephisus & acer
Illissus, crebrasq; vrgens Achelous arenas.
Quin etiam varij celebrantur in Hellade montes:
Pelius, Othrys, Athos, & fato nobilis Oeta
Herculis, & bijugo Parnaßi vertice colles:
Virgineusq; Helicon, natusq; ad sacra Citharoи,
Ossaq; cum Pindo, maiorq; ambobus Olympus.
Hinc spectant Adriæ prærupta Ceraunia fluctus,
Sunion Aegæum. Sed vastas carmine terras
Helladis emensis, bimarem transibimus Isthmum.
Ac simul Argolicas & Achaidas atque Laconum,
Et Peloponnesi reliquas per littora gentes,
Vrbibus ex proprijs dictas lustremus, & intus
Arcades antiquos: quibus adijcientur & vrbes,
Argosq;, Sparteq;, Agamemnoniaq; Mycenæ:
Mox Epidaurus adest, & nobilis ære Corinthus,
Olenus & Sicyon, Patræq;, humilesq; Cleonæ,
Gythion ac Trœzen, Messene, notaq; Lernæ,
Inde Methona, Pylus, Pisarum atque Elidis vrbes,
Mantinea, Tegea, Megalopoleosq; coloni.
Inachus Argolicos camposos. Asopus Achiuos,
Eurotas cultos Lacedæmonis irrigat agros:
Nec procul Alpheus lapsus subter mare, qui post
Ore Arethusa tuo Siculis confunditur vndis.
Arcadiam illustres incingunt vndique montes,
Mænala, Taygetus, Pholoe ac Stymphalides vmbræ,
Et cum Cylleno gelidi pineta Lycæi.
In mare Spiræum tendit, Maleaq; furentis
Aestus, & Acritas ac Tænarus ostia Ditis.

Hespe-

Hesperios procul hinc tractus, atque Itala regna
Incingit mare quod suprà, quodqúe alluit infrà:
Sed mediam duplices secat Apenninus vtrinque
Ausoniam in partes. Adriam littusq; sinistrum
Cum Carnis Venetiq; colunt, Galliq; togati,
Vmbri, Picentesq; viri, Priscique Sabini,
Pelignosqúe sequens Frentanus, & Appulus agros.
Hic Salentini Calabriqúe per oppida campi,
Magnaqúe in Ausonijs habitatur Græcia terris.
Brutia Lucanos Tyrrheno littore primos,
Et Campanorum latos circum æquora colles.
Volscorumqúe domos spectat vetere sqúe Latinos.
Hinc Ligurum populos, Hetruscorumqúe penates,
Insubriumqúe agros, spaciosasqúe insuper vrbes:
Quæqúe tenent Veneti munita palatia ciues,
Et Mutinæ Patauiqúe arces, ditisqúe Rauennæ.
Histrorum inde iacent Tergeste, Aquileia tractus
Vltra Ancona mari spectata, Bononia campis,
Mox & Ariminon & Ferraria, Nursia, Sulmo,
Sipuntũ atq; Amiterna domus, Venusinaqúe rura,
Brundusium, Hydruntumqúe, propinquaqúe tecta
Crotonis.
Inde Tarentinæ Metapontum iungimus vrbi,
Rhegion ac Locros, biferiqúe rosaria Pæsti,
Sirenum scopulos, promonteriumqúe Mineruæ,
Surrentum, Capuam, atque altum Præneste, Saler-
num,
Parthenopesqúe arcem, & Cumeæ templa Sibillæ,
Nuceria & Nolæ Beneuentanosqúe colonos,

Antiphatæq; domum, & Circeæ littora terræ.
Mox Caieta iacet, Sinueſſaq;, Tybur, Aquinum,
Ardeaq; & rerum quondam pulcherrima Roma,
Roma caput mundi: Peruſinaq; rura ſequuntur,
Et Florentinis immiſſus mœnibus Arnus.
Nec Mediolani pulchram reticebimus arcem,
Dertonam Ticinumq; ſimul, Genuamq; ſuperbam,
Tridentum, Piſamq; vrbem, veteremq; Cremonam,
Mantua quam ſequitur, Verona, Placentia, Parma,
Atque aliæ plures, quas præterlabitur amnis
Eridanus, poſt hunc Rubicon præcepsq; Timauus:
Hinc Tifernus, & Hirpinis è montibus ortus
Aufidus: ac Tuſcum qui deuoluuntur in æquor,
Vulturnusq; celer, Silari Sarniq; fluenta,
Cuiq; ſuit rerum conceſſa potentia, Tybris.
Sed quis finis erit, ſi proſequor omnia verbis
Oppida & apricos colles, ſyluasq; lacusq;,
Fluminaq; & campos, ſinuoſosq; vndique portus:
Omnia ſunt fama totum vulgata per orbem.

RVDI-

RVDIMENTORVM COSMOGRAPHICORVM

LIBER TERTIVS.

HActenus Europæ lustratis ordine regnis,
Et procul hinc ventis immensa per æquora vecti,
Tandem Asiæ magnæ populos videamus & vrbes.
Hanc latè triplici contingens littore vastus
Alluit Oceanus. Zephyris obuersa tenetur.
Inclyta Syrorum tellus, Asiæq; minoris
Portio, & antiquo notissima carmine Colchis.
Tum variæ gentes passim deserta Scytharum.
Mox etiam tenui felices vellere Seres,
Tartaricique tenent Borealia rura coloni.
Hinc Oriens Scythiam trās celsum spectat Imaum
Regnaq; trans latum quæ restant India Gangem.
Quin etiam interior longè procurrit ad austrum
India, Carmanisq; propinqua Gedrosia terris,
Persidis inde solum sequitur, Chaldæaq; regna,
Totaq; thuriferis Panchaia pinguis arenis,
Multæ intus gentes celebres, populiq; potentes
Terrarum varios sparsim tenuere recessus.
Sed nos iam Syriæ pennis aduersa fauoni
Littoraq; & terram lustremus melle fluentem.
Prima Palæstinam Sirbonidis alluit vnda,

Mox & oliuiferis Iudææ collibus, illinc
Phœnissas pariter gentes, Apamenaqúe rura,
Verùm hinc palmiferam prorsus sociabis Idumen,.
At Galilæorum spacio solimite fines
Latifluus Iordan scindit Trachonitidis aruis.
Interiusqúe solum bis quinis vrbibus aptum.
Hinc Cœlem Syriam, hinc Casiotidis aspicit agros:
Insuper & mediam concludunt flumina terram
Tigris & Euphrates, qui per Babylonica lapsi
Mœnia, voluuntur sinuosum in Persidis æquor.
Sunt etiam egregiæ dictis regionibus vrbes,
Ascalo & Antipatris, pariterqúe Azotia rura,
Et Samaritanis habitata Sebasta colonis.
His sacram Solymorũ ædem, Gazamqúe potentem,
Cæsaream duplicem, & priscam iungemus Ioppen,
Cum Sidone Tyrum celebrem, & Ptolemaidis vrbem,
Beryton ac Tripolim, Myriandron, Laodiceam,
Tiberij atque alias Galilæi littoris arces,
Et Gadarenorum fines vrbemqúe Scytharum.
Nec procul Europum claramque videbis Edessam,
Nisibin, & latio maculatas sanguine Carras.
Est quoque diuersis non vna Seleucia terris,
Prima tenet littus, medios colit altera campos.
Palmyra deinde subest, Hieræ poleosqúe coloni.
Antiocheia duplex, quarum accolit altera Taurum,
Altera per medium labentem cernit Orontem.
Chrysoroas pulchro præterfluit amne Damascum.
Iordamsqúe sacer geminis è fontibus ortus,

Per

Per latas valles & amœnos vndique saltus
Tandem Asphaltitæ diris immergitur vndis.
Hoc tractu quondam Deus impietate superbas
Sulphureis flammis Sodomorum perdidit vrbes.
Et Iericunta quidem similis vindicta secuta est:
Totaqúe nunc regio priscis viduata colonis,
Obruta desertis vestigia quærit in agris.
At nunc præcipuos videamus in ordine montes,
Fœcundum cedris Libanum, celebrataqúe fama
Carmeli iuga: mox equo Deus ipse tremendo
Fulgure cum tonitru lapsum perterruit orbem.
Inde duplex Casius geminato vertice surgens,
Hinc Pelusiacæ, inde Seleuci iungitur vrbi.
Verũ age nunc tandem portas superemus Amani
Ac primos Cilicum populos, Asiæqúe minoris
Littora, & internos peragremus vbique recessus:
Pamphyliam & Lycias vrbes, Lyciæqúe propinquos
Caras, & Aegæi confines æquoris agros:
Ioniæ clarasqúe domos, Lydosqúe penates,
Aeolidesqúe & Nysorum quondam inclyta rura.
Hinc Rhetœa iacent Phrygiæ clarissima bello
Littora, principiumqúe Propontidis Hellespontus:
Mox Bithynorum fines, qua strictior alter
Bosphorus Euxinum pontum concludit: at vltra
Paphlagonum tellus coniuncta est Leucosyrorum,
Cappadocũ & Chalybum ferri prægnantibus agris.
Inde Lycaoniæ Pisidarumqúe arua, simulqúe
Mæones & Galatæ medios tenuere recessus.
Vèrùm ea barbarie nunc tam confusa premuntur

Vt neque sint noti fines, neque mœnia terris:
Atque ideo veteres vrbes, & prisca locorum
Nomina & insignem quōdam celebrabimus Issum:
Mox intus Cydni diuisam flumine Tharsum,
Et crassam Soloen Pompei nomine dictam,
Corycięmq; vrbem pariter portumq; specumq;.
Nec procul Aspendus ripas tenet Eurymedontis.
Hic etiam Attalicis colitur vicina colonis
Cynthia Pergensis simul & Patereus Apollo,
Inde Craiq; iugum nocturnoq; igne Chimæram
Terribilem, & Xanthi flauas linquamus arenas:
Piscosamq; Gnidon potiùs, claramq; sepulchro,
Vrbem Halicarnassum & Mausoli nomine regis,
Aegæiq; alias memoremus littoris vrbes:
Ionicæque caput gentis, celebremque virorum
Mileton patriam, & Mycales sub rupe Prienem,
Cum Colophóne Ephesum Latoidos æde superbam,
Hinc Sardi coniuncta tenent vineta Timoli,
Clazomenæ littus, sinuosos Smyrna recessus.
Interius Trallis, Philadelphia, Laodicea,
Pergamus ac Thyatira: sed & clarissima rerum
Troia sub Idæis radicibus, vnde Scamandri
Et Simeontis aquæ voluuntur in Hellespontum.
Antandrus post hæc subit, inque Propontidis oris
Cyzicus, extremoq; iacens Nicomedia Ponto.
Hanc supra ad Boream sunt & Chalcedones agri,
Atque Heraclei fines, vbi dicitur olim
Cerberon Alcides ferro durisq; cathenis
Ex Acheronte imo superas traxisse sub auras.

Nicæam

Nicaeam Ascanius,sed Prusam illustrat Olympus.
Inde Cythoriaco cum monte videbis Amastrim,
Et Teutranteos fines,notamq́ue Carambim:
Moxq́ue Sinopenses medijs spectantur Amisi
Partibus,irriguisq́ assueta Themiscyra campis,
Hic et Amazonidum prope flumina Thermodoontis
Castra fuisse ferunt:extrema in littora Ponti
Vertice montano Trapesus inclusa recessit.
Interiore Sebastopolisq́, & Amasia tractu,
Ancyra & Iconium,Derbe,cumq́ vrbibus amplis
Antiochenorum,vix nota parte coluntur.
Hic tamen Aegaeo curuis illabitur vndis
Maeander,simul & cantu celebrata Caystri
Flumina,Pactolo coniungitur aurifer Hermus:
Vorticibusq́ altis remorata fluenta Cayci,
Atque alij subeunt non parui nominis amnes.
Parthenius posthac,& Haly vicinior Iris,
Sangariusq́ petunt Euxini littora ponti.
His tamen omißis pariles videamus ad Ortum
Armeniae tractus,praefecturasq́ potentes,
Et Pariedri altos apices,montesq́ Ceraunos:
Vlteriusq́ auro celebratam & vellere Colchim.
Ast Albanorum medios includit Iberos
Planicies,finem Cyro quae ducit ab amne,
Et premit eoas Hircano littore partes.
Samosata Euphratis ripas,Melitenaq́ rura,
Tigrana certa tenet colles,Artaxata campos.
Caspia qua praeceps ad littora fertur Araxes.
Inde Dioscorias in finibus Heniochorum,

Mercibus externis & vocum mille figuris
Inclyta, latifluas despectat Phasidis vndas.
Nec procul Hermonassa vetus, vinclisq; Promothei
Caucasus, at niuibus syluisque grauatus opacis.
Essedones Colchis accedunt, moxque Coraxi,
Cimmeriaque graui pressæ caligine terræ
Inde Melanchlænis Mæotidos accola Sindon
Iungit Iaxamatas Scythici prope fluminis oram.
Quin & Hyperboreos montes, Scythiæque niualis
Interiora tenent variæ sine limite gentes.
Prima Atimasporum gryphis inimica propago,
Finitimi quoque Amazonicæ telluris Alani:
Adde & Arimphæos laxartarumque recessus,
Hippophagos, Antropophagosq;, Galactophagosque
Quique intus folijs depectunt vellera Seres.
Multaque præterea Scythicæ cognomina gentis,
Quas procul à Tanai boreali parte iacentes,
Immensus mediam percurrens Asida terram
Taurus ad extremum disclude dicitur Ortum:
Taurus, qui dites populos terrasq; potentes
Indorum tepidos latè speculatur ad Austros.
Hic iacet emporijs tellus opulenta marinis,
Fertilis omnigenum rerum: semperq; virenti
Fronde nemus bifera crebros parit arbore fructus.
Multaque vastarum nutrit portenta ferarum,
Nullæ illic hyemes: sed Sol æstate perenni
Vicinis radijs vernantia temperat arua.
Atque ideò multæ gentes & maxima regna,
Sinarumq; solum & Chryse peninsula: sed quis

Omnia

Omnia barbarici tractus longeq; remoti
Nomina, tam tenui valeat percurrere versu?
Indica cis rapidum spacioso flumine Gangem
Terra, Palimbotrosq;, Chelonophagosq; colonos,
Bracmanesq; tenet, mox duros Gymnosophistas,
Bucephalaque vrbis fines, Mysamq; superbam,
Quam Bacchus quondam primus Orientis in oris
Condidit: at Macedo non inferiora relinquit
Oppida transgrediens armis victricibus Indum.
Haud procul Oceani per littora flexa, Gedrosi,
Carmaniq; iacent, & florentissima regna
Persidis vlterius Chaldaeorumq; penates,
Orchoa, Persepolisq;, simul Hecatompylos vrbes,
Susarumq; arces, Babylonicaq; arua coluntur.
Ast in secessu duplici circundata tellus
Aequore, Petraeos montes, desertaq; passim
Iugera, felicesq; Arabum distinguere campos
Dicitur: hac Nabataeorum procul intus ad ortus,
Panchaumq; solum, Pygmaeorumq; phalanges
Terribiles gruibus spectat, pinguesq; Sabaeos.
Haec thuris lachrymas, & odores pascit Amomi,
Cinnamaq;, costumq; simul, casiaq; saporem,
Et nardi fruticem, ac stillat tam cortice myrrham.
Nunc Sarraceni redolentibus vndique campis
Rura tenent, Mechamq; superstitione potentem,
Atque alias celebres dictis in partibus vrbes.
Sed nos Hyrcani repetemus littoris oram,
Assyrios, Medos, Hyrcanorumq; colonos,
Cyropolimq; arcem, Niniq; ad Tigridis vndas

Moenia,

Mœnia, & Ecbatanis iunctam Ctesiphonta vetustis,
Arsaciaq; vrbis tractum, longeq; remotos
Bactrorum populos, Paropanisadumq; recessus.
His Arianorum gentes. Parthosq; fugaces,
Sacharumq; domos, Arachosiaq; insuper arua:
Multaq; si libeat, Latiæ non cognita linguæ
Oppida iam dictis poteris coniungere terris.
Africa nunc sequitur feruore notabilis ipso,
Vasta, minusq; frequens, tantum fœcunda ferarum.
Interius qua Sol medius nullas iacit vmbras,
Vruntur flammis, sicciq; teguntur arenis
Deserti tetro serpentum afflamine campi:
Quodq; die, Solis violento incanduit æstu,
Humida nox reficit, paribusq; refrigerat horis.
Sed notam Lybici peragrantes littoris oram,
Solis ab occasu, Solis videamus ad ortum,
Anteiq; domum Tingin, constructaq; Mauris
Oppida, tum stellas humeris Atlanta ferentem:
Vnde Molucha fluit, Maluaq; propinquior vnda.
Hic simul Icosium Cartennaq; arua coluntur,
Pluresq; indigenis noti cognominis vrbes.
At Numidas fines præterfluit Amsaga: post quem
Hipponis geminæ Colepisq; videbis vtrinque
Mœnia, Rusicadæq; solum sedemq; Siphacis
Longius à Pelago Cyrtam, & quos Tabraca campos
Incolit: hinc Vticam & magnæ Cartaginis vrbem
Bragada limitibus nimium discernit iniquis.
Mox geminæ Leptis tractus, Syrtiq; propinqua

Cli-

Clupea cum Taphris, vbi fundit in aequora Triton
Collectas fluuio ternisq; paludibus vndas.
Hic circum gentes Nasamonum, Punica latè
Terra patet: mirumq; nimis quod inhospita Syrtis
Littora Lotaphagum diris incingit arenis.
Proximus hinc sequitur Cinyps, araq; Philaenon.
Mox ad deuexum penitus Catabathmon habebis
Pentapolis tractum, & claram Ptolemaidis vrbem
Hesperiam, Arsinoenq; simul, mediamq; Cyrenem,
Ammonisq; domum, & geminam procul intus Oasim.
Marmaridae posthac passim sine moenibus vllis
Vilia dispersi subeunt magalia ciues.
Inde Paraetonium Mareoticaq; arua sequuntur,
Cum campis Aegypte tuis, qui littora rubri
Vasta tenent pelagi, longoq; ex ordine tractu
Aethiopum terris patrium clauduntur ad austrum
Hic perhibent moles per iugera multa iacentes
Pyramidum celsas superare cacumine nubes.
Hic Psammetichi regis labyrinthius error:
Pluraq; non minus his extant memoranda, sed vltro
Vrbis Alexandri pariter, veterisq; Canopi,
Et Pelusiacae gentis prope littora fines,
Ac procul à Pelago celebres recitabimus vrbes:
Antiquae Memphi iunctam Babylona recentem,
Bubasti, Taneos, claramq; Hyperionis arcem,
Thermopolimq;, Cynônq; polin: mox deinde videbis
Intus vbi Nilus Cancri secat astra, Syenem,
Centifores Thebas, cultamq; Diospolis aulam,

Et cre-

Et crocodileis exercita Tentyra monstris,
Omnigenûmq; Deûm dictis procul oppida terris.
Inde sub Aegypto minus hospita Solis ob æstum
Terra iacet campi longè lateq; patentis,
Monstrorũ domus, & rapidis loca subdita flammis.
Decolor Aethiopum populus per littora sparsim
Obtinet ardentes vario cognomine tractus.
Troglodytarum cultis hac parte cauernis
Lucifero primi Blemyæ iunguntur ab ortu.
Ast Agisimba procul gelidis discedit ab arctis,
Atque vmbras rerum vicinos iactat in austros,
Hic memorant Nilum Lunæ de montibus ortum,
Per varios riuos vastosq; paludibus auctos,
Hinc Elephantinamq; vrbem, lateque patentem
In medio Meroen concludere: proxima sed post
Aegyptus latis spaciantem flumine campis
In pelagus Pharium septena per ostia fundit.
Interius deserta tenent nudi Garamantes,
Moxque Elephantophagique Antropophagique feruntur,
Et Camphasantesque timidi, Satyrique petulci.
At procul Hesperium latè per littora tractum
Atlantesque feri, Getulorumque coloni,
Nigritæque habitant, simul & Pharusia pubes
Insuper & plures alibi: sed promptius altis
Nubibus, & nitidis dederim cognomina stellis,
Quàm totidem populos, linguas, faciesque locorum,
Regnaque terrarum, cumque ipsis oppida campis,
Apricos montes, & opacas vndique syluas,

Stagnan-

Stagnantesque lacus, & crebri vorticis amnes,
Littoraque & gratos posim comprendere portus.
Has tamen è multis variarum nomine rerum
Percurri breuiter mixtas regionibus vrbes.
Quarum pars super est prisco sub nomine, pars est
Excidijs deleta: locisque manentibus ijsdem,
Per totidem linguas & secula temporis acti
Nomina diuersis causis mutata feruntur.
Nunc locus Oceani, quæ sunt à Gadibus vsque
Auroram, & totum qua circumplectitur Orbem
Nereus, æquoreis ambitas dicere terras
Fluctibus, extremo terrarum fine coluntur
Caßiteri venæ celebres grauiore metallo.
At procul hybernis succedunt Anglica regna,
Littoribus Scotiæ coniuncta: sed Anglia primam
Londinum, & claras per littora continet vrbes.
Orchades hinc multæ numerãtur, & vltima Thule,
Atque in secessu propior Selandia tellus.
Vlterior Scythicus boreali frigore pontus
Horret inaccessus glacie densisque pruinis.
Multæ autem terræ Solis redeuntis ad ortus
Vndique laudatis habitantur in æquore campis:
Sed vix nomen habent peregrinis versibus aptum.
Taprobaneque Orbis medium sortita recessum,
Lucibus æquatis depressos conspicit axes.
Hanc circum Oceano variarum altrice ferarum,
Quin & Erythræo plures nominantur in alto.
Gorgonis hinc sedes, & inhospita tecta Medusæ
Hesperio tractu surgunt: mox arua beata,

Et for-

Et fortunatæ ſparſo ſine ſemine terræ.
Eſt etiam vlterius non viſa prioribus annis
Inſula, diues opum cultuq; immanis agreſti,
Quam lucri ſtudium, rerumq; cupido nouarum
Prima ſub extremo conſpexit Sole cadente
Illa tamen valeant: iam nunc propiora ſequuntur,
Herculeoq; freto poſitis vtrinque columnis,
Intromiſſa fluunt per apertas æquora terras,
Extantesque vagis campos mirantur in vndis,
In primis Ophiuſa mari conſurgit Ibero,
Cumque Ebuſitanis Balearica regna colonis,
Atque aliæ plures paßim ſine honore iacentes.
At breuibus ſpacijs deſpectat Corſica tellus
Littora Sardiniæ: Tyrrhenum deinde per æquor
Pontia cum Prochyta, Capreæ, Planaſia: moxque
Scylla ferox canibus, ſimul & Zanclea Charybdis.
Auſoniæ Siculæque tenent confinia terræ.
Inde Pithecuſæ, Lipara & Vulcania, poſt quas
Strongyle, & innumeræ penitus viſuntur in alto
Inſulæ: ante alias ſed enim præſtantior (olim
Cyclopum Cererisque domus) Trinacria montes
Finibus extremis diuerſa per æquora fundit,
Cumque Peloride Lilyben, vaſtumque Pachynum:
Interius celebrem flammis viuacibus Aetnam,
Atque Erycis templum & claras amplectitur vrbes,
Meſſanam, Catinam ſimul & Megarenſia rura,
Cumque Syracuſis Drepanum, notamque Panormum,
Tauromenon, Camerinam, Agraganta, Leontion, Hyblam.

Sunt

Sunt etiam Adriaco Diomedis nomine dictæ,
Et quas Ionium latè circumfluit æquor,
Phæacum sedes Corcyra,& littus Echinæ,
Insula mox Cephalenorum, & nemorosa Zacyn-
thus,
Illustrisq́; Ithaca,& Strophades, quas dira Celæno
Harpyiæq́ue aliæ quondam tenuisse feruntur.
Hinc Teganusa iacet,Veneriq́; dicata Cythera,
Insuper & Salamis,propiorq́; Aegina:sed intus
Myrtoum Sporades fluctu circumsonat æquor
Nisyron,Olearon,Theram,Melonq́ue rotundam,
Syron & Hippurim,Pathmon,viridemq́; Donysam:
Inde Lebynthon & Icariam,sparsasq́ue per altum
Cycladas,albentemq́; Paron,planamq́; Seriphon.
Mox Delon,Mycone celsa Gyaroq́; reuinctam,
Florentemq́; Cythnon,Sicynon,sacramq́; Lyæo
Naxon,& hinc Siphnon,& Rhenen,mox Tenon &
Andron
Separat Aonijs procul hinc Euripus ab oris
Euboicas vrbes,Chalcin niueamq́; Caryston,
Ceneiq́; iugum,infidumq́; Caphareæ nautis.
Adde tot Aegæo distinctas æquore terras,
Sciathon,& nitidis lætam Peparethon oliuis,
Tum Scopelon, Scyrum, & Vulcani mœnia Lem-
num,
Threiciamq́; Samum, Tenedon,mox Chion & Im-
bron.
Et Mitylenæam spacioso littore Lesbon,
Iunonisq́; domum,sed & Astypaleia rura,

Carpathiiq; maris Rhodiorum & Apollinis vrbes,
Lindon, Ialysonqúe simul, veteremq; Camiron.
Illustrant etiam Creten hecatompolin vrbes,
Lictus & hinc Gnosus, Cydon, Gortina, Lycastus.
Atque aliæ, quarum vix nomina nota supersunt:
Ida Iouis cunæ & Dictæi culmina montis,
Hisq; Samonion adiunges, Criuqúe Metopon.
Issicus inde sinus Cypri complectitur vrbes,
Cum Salamine Paphum, grauidamqúe Amathunta metallis.
Sed quid nota sequor? multæ sine lege iacentes
Insulæ Oceano in magno, medióque profundo,
Partim homini cultæ, partim deserta ferarum
Pascua, neglectis pelagi clauduntur in oris.
Quædam iam celebres, olim sine nomine terræ
Multarum nec honor priscus, neque nomen habetur,
Sed libet hoc portu fessas subducere naues.

RVDI-

RVDIMENTORVM COSMOGRAPHICORVM

Liber Qvartvs.

VARIARVM RERVM NOMENCLAturam continens.

POstquam præcipuis cœli terræq́ue, marisq́ue
Partibus inuecti, verbóque creata potenti,
Humanæq́ue manus monumenta stupemus & artem:
Nunc propiora sequi, mundumq́ue videre minorem,
Et quicquid propter talem Deus ipse creauit,
Ingeniumq́ue hominis longo quæ reperit vsu
Dicere pergemus: superent modo nomina rebus.
Principio terræ dominum, rerumq́ue potentem,
Præstantem specie fortunatumq́ue superni
Numinis aspectu, quamuis damnauerit error
Impius, & diræ subiecit corpora morti:
Non tamen ingenuæ penitus vestigia formæ,
Nec data cesserunt diuinæ semina mentis:
Quæ solus nouit, solus scrutatur ab alto,
Qui regit affectus varios, animisq́ue vigorem
Suggerit, & corpus magnis virtutibus implet.
At nobis breuiter, quæ sensibus vndique nostris
Occurrunt, notæ referentur carmine partes
Corporis, & summo quæ sunt à vertice membra.
Sanguis, adeps, cerebrum & pingui cum carne medulla.

Venarumq́ viæ graciles, arteria, nerui,
Ossaq́, membranæ sudoriferiq́ meatus,
Et cum visceribus distinctæ in corpore fibræ,
Moxq́ decus capitis vultus, geminæq́ lucernæ
Corporis, & custos teneræ palpebra pupillæ,
Occiput atque aures, cilium, caluaria, nasus,
Maxillæ duplices, & frons sacrata pudori,
Temporaq́ & nares, calamistratiq́ capilli,
Elatumq́ supercilium, promissaq́ barba,
Mandibulamq́ tegens mentum, labiumq́ decorum
Os hominis, rostrumq́ auium, rictusq́ ferarum.
Hinc guttur subit, atque imo tonsilla palato,
Et gula dependens à faucibus, inq́ recuruis
Gingiuis dentes, septa munimina linguæ,
Affinis iugulo ceruix, collumq́ superbum,
Spinaq́ vertebris toto fortissima dorso,
Brachia cum scapulis, humerus, manus, vlna, lacertus,
Musculus, axillæq́ cauæ, cubitiq́ sequentes,
Palmaq́ cum digitis, index cum pollice, verpus,
Sinciput atque vterus, cutis, & cum ventre papilla,
Et ventris medium, atque extremi corporis vngues.
Hinc laterum robur costæ, præcordia, mammæ,
Intestinorum series, cordisq́ recessus,
Splen cum felle, iecur, pulmo, simul ilia, lumbi,
Et fons morborum stomachus, vesica renesq́,
Pectora cum pugnis, & edax cum clunibus aluus,
Mentulaq́ & femorum partes cum cruribus: inde
Vulua, nates, inguen, matrix, præputia, testes.

Cum genibus tali,& gemino cum poplite sura,
Plantaq; cum pedibus,robustaq; tibia,coxæ,
Postremiq; simul calces,& quicquid in ipso
Corpore diuersum superest,propriumque ferarum
Concha,pilus,squammæ cum pennis,vellera,seta,
Vngula,cumque toris palearia,pellis & armi,
Cornua cum cristis,mox cauda,proboscis & alæ.
Sed dum præcipuos memoramus corporis artus
Sensim ad res alias ventum est:pariterque videnda
Quadrupedum species,sæuarumque ordo ferarum,
Iunctaque reptilium varijs insecta figuris,
Squammigerumq; genus pisces , pictæque volucres:
Et quicquid natum tellus habet,aër & vnda,
Atque hominis pedibus subiectum,plurima passim
Sponte sua confert securæ commoda vitæ.
Principioque duces,aries & taurus,& hircus,
Mox equus & mulus,verres maialis & agnus,
Inde sues,veruex,cumque ægris porcus asellis,
Lanigerique greges,ouium petulansque capella,
Bubalus ac barrus,vitulus,bos,vacca,caballus,
Capreoli,leporesque leues,& odora canum vis,
Armeniæ tigres,iracundique leones,
Cumque lupis vrsi,lynces,panthera,camelus,
Simius,ichneumon,erinaceus,hinnulus,histrix,
Rhinoceros,elephas,crocodilus,cercopithecus,
Tragelaphusque, hippopotamus, cum dorcade ceruus,
Sæuus aper,volucresque ibices,pardique feroces,
Syluestresque onagri,vulpes,leopardus & vrus,

Talpáque luce carens, crocuta, sciurus, hyæna,
Castores amphibij, lutræ, damæq; fugaces,
Murilegi feles, sorices cum muribus atque
Mustelis, glires, viuerra, cuniculus, hœdus:
Ignotæq; aliæ species atque ora ferarum,
Quæ paßim varius sine nomine procreat orbis,
Corporis exigui sunt, & quæ mole feruntur,
Fucus iners, apumq; genus, vespæq; nocentes,
Infestumq; crabro pecus, atque infestius œstrum,
Musca, culex, bruchus, cynomya, teredo, locusta,
Atque hyemis formica memor, segnisque cicada,
Blattáque, Papilio, tinea, & cum cimice bombyx,
Pyraustæ simul & nitidis lampyrides alis,
Curgulio, campe, conuoluulus, atque cerastes,
Hinc eruca, pulex, & amica cruoris hirudo,
Stellio, lumbricus, scarabæus, araneus, aspis,
Scorpius, aspectuq; nocens basiliscus, echidna,
Cochlea, & infestus serpens, buprestis & hydrus.
Tum domiporta subit testudo, lacerta, dracones,
Tipula, rana, grauis bufo, salamandra, rubeta,
Cantharis ac limax, scolopendra, phalangia, gryllus.
Quin etiam liquidis quædam pascuntur in vndis,
Ostrea cum conchis, cancer cum murice, perca,
Cetus, amansq; hominis delphinus, phoca, balena,
Versicolor polypus, cum passere scalpa marino,
Carpio cum scombris, & cum torpedine rhombus,
Cumque halece scarus, murenáque, sepia, salmo,
Gobius, aurataq;, acipenser, mena, silurus,
Tynnus & anguilla, canis, & cum mugile congrus,
Hinc

Hinc lupus ac barbo, mulusque, echeneis, hirundo,
Quique ferunt alijs accepta vocabula rebus.
Inde genus volucrum Cœlo quod gaudet aperto,
Anser, anax, perdix, turdus, gallina, palumbes,
Nisus & accipiter, motacilla, monedula, miluus.
Psittacus hinc sequitur, pictisq; nitentia pennis
Corpora pauonum, phasianus, turtur, hirundo,
Vocales merulæ, fringillaque frigore gaudens,
Regulus, alcyones & sturnus alauda, coturnix,
Attagen atq; apodes, philomeláque, passer, acanthis,
Pica loquax, aquilæque leues, & garrula cornix,
Graculus & picus, cuculus, curruca, columba,
Gryphes hyperborei, phœnix simul ardea, cygnus,
Struthius ac falco, & cum porphyrione pygargus,
Atrieque grues, longóque ciconia rostro.
Hinc fulcia atque parix, vultur, ficedula, mergus,
Et cristatus epopis, ibisque infesta colubris,
Noctuaque & merops, bubo funestus, & otus,
Nycticorax, vlulæ, strix, vespertilio, coruus,
Quæque locis alio viuunt sub Sole remotis,
Et peregrina tenent cognomina. Protinus illis
Quicquid in Alcinoi syluis, & Adonidis hortis
Crescit, Hamadryadum saltus, viridesque Napeas.
Et quas immenso tellus producit in orbe,
Vallibus aut campis fluuijsque & montibus altis,
Per varias species nectemus in ordine plantas.
Primaq; citrus adest, mox cedrus & innuba lau-
Hinc acer & ficus, pinguesq; sequuntur oliuæ, (rus,
Pampineæ vites, & amicta vitibus vlmi,

Persicus atque pinus, sambucus, amygdalus, ornus,
Sacra Ioui quercus, frondosaque tegmine fagus,
Castaneaqué simul coryli, patulaqué iuglandes,
Edellia, lentiscus, fructuqué onerata rubenti
Arbutus, & lentæ victoris præmia palmæ,
Populus & præcox cerasus, nodosaque cornus,
Et platani steriles, curuataque glandibus ilex,
Hinc abies, pinusqué virens, labrusca, cupressus,
Esculus ac tedæ pingues, ferulaqué minaces,
Molle siler, piceæ, malus, terebinthus: at inde
Taxus & amnicolæ salices, lentæque genistæ,
Mespilus & morus, larix, oleaster, arundo:
Mox hebenus, lotusqué & spinis prunus acutis,
Et cum iuniperis cytisi, fatuæque mariscæ.
Hinc tiliæ molles, & fraxinus vtilis hastis,
Horrentesqué rubi, simul & viburna, chamædrys,
Cum rusco sorbus, cum spino myrtus & alnus,
Perpetuoque virens buxus, tenuesque myricæ:
Milleque pomorum species, quibus optima tellus
Expromit varios ima radice sapores,
Cum nucleis resinam, & maturo semina fructu,
Cumqué acinis baccas, glandesque, vuásqué, nucesqué.
Hinc frutices simul & nitidæ cum floribus herbæ,
Balsama cum casia, thus, myrrhaqué, nardus, amomum,
Acacia & moli, mox dira aconita sequuntur,
Narcissus, viola, & nimium rosa plena pudoris,
Caucalis, œnante, rododaphne & amaracus, iris,

Acorus,

Acorus, hyssopusq́, althæa, lauendula, caltha,
Fœniculumq́ anisumq́, chelidoniumq́, crocumq́,
Rugosum piper, & pallentis grana cumini,
Et cum Lactucis caryophyla, zingiber: inde
Ozima chærephylumq́, immortalesq́ amaranthi,
Et satureia thymi referens thymbræq́ saporem,
Saluia, dictamnus, blittum, colocasia, sandyx,
Peucedanumq́, apiumq́, melanthia, petroselinum,
Ambrosia, & bacca semper frondentis acanthi,
Capparis & tristes inulæ, corruda, sinapis,
Artemisiáq́ chamæpityosq́ atque achrados herba,
Allia cum cepis, coriandra, papauer, anethum,
Corchorus in lachanis, carex, absynthia, spelta,
Rutaq́ serpillumq́ & suaue rubens hyacinthus,
Silphion, andrachne, raphanus, nasturtia, caules,
Brassica cum rapis, cyperus, spinachia, porrum,
Pisa, fabæ, ciceres, reliquiq́ leguminis ordo,
Ordeaq́ & milium, far, chondrus, auena, siligo,
Infelix lolium, viciæ, tristisq́ lupinus,
Triticeæ messes, & humi nascentia fraga,
Cum fœnugræco staphylinus, aristolochia:
Hinc eruca salax, scolymus, satyriq́ gemelli,
Marrubium, panicumq́ & hyoscyamus, sagapenum,
Lapsana, verbascum, plantago, anchusa, simulq́
Esula cum betis, solanum, stychnus, oryza,
Lilia, mentastrumq́, euphorbia, centaurea,
Abrotanum, seseli, mox & cynoglossa sequuntur,
Asphodelus, smilax, eryngion, enneaphyllon,
Pulegiū, nepeta simul, borraginis herba,

Bettonica & scandix, muscus cum rore marino,
Inde meliphyllon, panaces, scammonia, scylla.
Solsequium, graueolens cunila, ac verbena, pyrethrum,
Hellenium, lupulus, buglossa, filix, adianthum,
Errantes hedera, lapathus cum baccare, malua,
Menta, leonpodion, lentes, niueumq; ligustrum,
Cum rutilis ebuli baccis melilotus, hibiscus,
Intybus atque atriplex, boletus, tubera, fungi,
Asphargi, pepones, bulbi, gelidusque citrullus,
Et tenero cucumis, longóque concurbita collo,
Saxifraga, origanum, mox glycyrrhiza, melones,
Granáque paeoniae, vaccinia, costus, aizon,
Anthemis, & viscum quod non sua seminat arbos,
Ptisana, symphytonque, cichorea, myriophyllon,
Clematis atq; aloe, ladanum, hypericonq; foratum,
Hinc siser, helleborusque duplex, & noxia succo
Galbana, lonchitis, mox camphora, titthymalusque,
Mandragoraque simul flores & maestia cicuta,
Spináque cum rusco, paliurus, lappa, triphyllon,
Carduus ac tribulus, rhamnusque, vrtica, faselus,
Cum pentaphyllo saliunca, dracunculus: inde
Cannabis & Spartum, linumque anagyris & eruum,
Iuncus cum scirpo, simul vlua, papyrus & alga,
Stirps, radix, folium, flores cum cortice, rami,
Spicáque cum siliquis, stipulaeq; & culmus, aristae,
Sed quis cunctarum vires & nomina verbis
Explicet, aut possit totidem discernere formas?

Cum plures herbæ quam nomina: proinde relictis,
Naturæ rebus, magis explorata sequemur.
Atque magistratus dicemus & officiorum
Nomina, & artificum diuersas ordine sectas,
Archiduces, comites, celsum cum principe regem,
Induperatorem, chiliarchon, & inde tribunum.
Hinc subit inuicti miles cum cæsaris armis,
Satrapa, præfectus, gemino cum consule quæstor:
Mox proconsul, eques, vexilliferumquè secuti
Cum ducibus, præco, legatus, scriba, satelles,
Aedilis, prætor, iudex, equitumquè magister,
Interrex, censorquè grauis, sanctusquè senatus,
Patrocióque simul cum dictatore decani.
Carnifici iunctus centurio, lictor & augur,
Pontificumquè grauis fido cum præside cœtus.
Ianitor atque vigil, cumquè æditüente sacerdos.
Sunt etiam variæ famosi nominis artes,
Quas quis vel casu, vel qua ratione secutus:
Hinc professorum venit longissimus ordo,
Grammaticus, rhetor, dialecticus, inde sophista,
Astrologus, geometra simul, iurisquè peritus,
Philosophus, medicus, post musicus atque poeta,
Cumquè mathematico socius chirurgus, & acri
Physicus ingenio, vates, phonascus, aliptes,
Tibicen, historicus, phrygio, tractator arithmi,
Bibliopola simul, sculptor, cocus, archimagirus,
Calcographus, solers pictor, præsagus aruspex.
Inde propola venit pariter cum litis amante
Causidico, post hunc fidicen, vespillo, magusquè.

Pannifices, fullo, tubicen, figulusq; sequuntur,
Institor, aurifices, mercator, pharmacopola,
Mox lapicida, faber, cytharœdus, pellio, textor,
Cumq; trapezitis, fusor, gemmarius: inde
Vinitor, herbarum legulus, factorquè papyri.
Athletæ, pugiles, & cum cursore probatus
Schœnobates, tonsor, chartarius & gladiator,
Quique simul statuas vnguentaq;, cibraq;, sellas,
Carbonesquè solent & vitra parare, quibusque
Bractea, marsupium, pariter cementa, sagittæ,
Plaustraq; carpentumq; dedisse vocabula constat.
Funicesque simul sutor, coriarius: & mox
Oeconomus, lanius, pincernaq; & architriclinus.
Pistor, & hinc molitor, mensarius & publicanus:
Tum gladiorum opifex, & notior hospite caupo,
Nauta, simulquè agilis remex, auriga, vietor,
Agricola atque olitor, piscator, villicus, auceps,
Hinc durus messor, tornarius, histrio, sartor,
Mulio & ægonomus, venator, fossor, agaso,
Pastor & vpilio, mox bubsequa, mango, subulcus.
Inde gradus veniunt, & iuncti sanguine cœtus,
Agnati pariter cognatorumq; propago,
Affinis, coniunx, vxor, procus atque maritus,
Cum socero, sponsusq; gener, socrusq;, nurusq;,
Sobrini, patruusque grauis, geminique parentes
Cum genitrice pater, matertera, consobrini,
Germaniquè simul fratres, grataq; sorores:
Hinc patruelis adest, natiquè simulq; nepotes,
Mox & auus proauusq;, et auunculus atque gemelli,
Fra-

atria cum leuiro, iunctusque sororius: inde
ricus, atque audax sequitur cum glore nouerca.
uignus pariterq; amita atque amitinus: at vltra
tronusq; reusq; cliens, testator & hæres,
cum legitimo paruus tutore pupillus.
Nunc simul ingenijs clarorum inuenta virorum,
rumenta, operum varius quæ postulat vsus:
structurarum partes, luxusq; tegentis
rpus & escarum percurret nomina carmen.
anquam hæc de multis sint pauca vocabula re-
bus:
nsa, tripes, flabrum, catinus, scutella, canistrum,
ceus ac Scyphus, mox amphora, cantarus, vrna,
a, lebes, cacabus, discus, sartago, patella,
ca, lagena, cadusq; & cocta fidelia limo,
ra, calix, modius, crater, lanx, quadra, salinum,
ula cum calathis, gutturnia, peluis, amussis,
cum pistollo mortaria, follis, ahenum,
scina, marsupium, & firmis charchesion ansis
de veru, coclear, chytropus, mantile, paropsis,
paq; cum loculis, cyathi, pateræq; capaces:
x infundibulum, culter, craticula, funda,
appa simulque abacus, lychnus, cum forfice cri-
brum,
que Cytoriaca plena cum pixide cista,
ssera cum talis, & pila, deinde fritillus.
bia, testudo, cythara, tuba, fistula, plectrum,
x laterna viæ, speculum, candelabra, sistrum,
ragula, lodices, lectus, substrataq; mollis

Culci-

Culcitra, puluinar, cunabula, sponda, scabellum,
Scrinia, ceruical, iunctisque aulæa tapetis,
Circinus, ampullæ: mox dentiscalpia, corbes,
Antlia, rastelli, mulctrale, catena, bat llum,
Fusus, verticulumq; colus, glomus, annulus, orbis,
Filáque, pecten, acus simul addita licia telæ,
Hinc dolabra, limæ cum forcipe, malleus, incus,
Ascia cum terebro, cuneus cum cote securis:
Tum runcina, scopæ, fabrilia, scalpra, dolones,
Torcular, & prælum, ac dentatæ lamina serræ,
Sarcula, ventilabrum, & triplici cũ falce bidentes,
Carpentum, temo, currus, rota, vomis, aratrum,
Arbuteæ crates, & mystica vannus Iacchi.
Stiuáque cum radijs, buris, ligo, canthus & axis:
Hinc saccus, dolium, contextáque fiscina virga,
Gausape, mox restis, pluteus, lectica, cylindrus.
Tribuláque, trabeæque, & iniquo pondere rastri,
Sella quoque & phaleræ, strigiles, furcæq; bicornes,
Calcar cum stimulis, & ephippia, fræna, capistrum,
Retia, muscipulæque, amites, pedicæ, atque matellæ,
Verriculumque, auidisque voratus piscibus hamus,
Hastáque cum clypeo gladius, vagina bipennis,
Calua, simulque arcus, & plena pharetra sagittis,
Pugio, bombardæ, catapulta, balista, flagellum,
Mantica, malluuiũ, trochus atq; nouacula, parma.
His quoque diuersæ succedunt ordine partes,
Aedibus in cunctis quæ plusve minusve struuntur:
Porticus, aula, domus, pauimentum, limina, postes,
Ostia, vestibulum, & bifores cum cardine valuæ.

Atria, triclinium, puteus, cœnacula, scamnum,
Cum locuplete penu stabulum, vinaria, cellæ,
Hinc hypocausta, bases, cameræ, celsæq; columnæ,
Iunctaq; cum caueis apotheca, cubilia, fornix,
Carcer, & effosso deducta cloaca canali:
Inde peristylium, testudo, gynacion, antes,
Cum fundamento paries, laquearia, portæ,
Ianua, & interior postica, fenestra, lupanar,
Pessulus atque seræ, clauesq;, repagula, vectes,
Pergula, scala, gradus, podium, præsepe, caminus,
Moxq; culina, focus, fornax, fumaria, furnus,
Hortus & impluuium, granaria, balnea, turres,
Area, protectum simul & subgrundia, culmen,
Scandula cum trabibus, tegulaqúe & tignus, & imbrex,
Horrea, cancelli, & summi fastigia tecti.
Sunt etiam nauis partes, & multa supellex,
Malus, & antennæ transuersis cornibus, vnde
Carbasa dependent, remi, crassique rudentes,
Transtrorum series, pariterq; harpago, carina,
Ancora cum rostro proræ, fixusq; repandis
Puppibus & certo rectus moderamine clauus.
Indumenta simul vario confecta labore,
Pellibus & pennis, de bombyce, vellere, lino:
Purpura, pelliciumq;, chalmis, toga, penula, sindon,
Pallia, diplois, strophium, multicia, peplum,
Hinc tunicis manicæ sunt, & redimicula mitris,
Byssus adhac, & cum lato sudaria clauo,
Insulaqúe, & regale decus, diadema sequuntur,

Bul-

Bulláque & interulæ, stola, flammea, vitta, lacerna,
Cingulus & caligæ, bracca, prætexta, tiaræ,
Baltheus ac thorax, galeæ mox fibula, cestus,
Fascia ciliciumq; & prodigiosa cuculla,
Fimbria, reticulum, chirotheca, monilia, pallæ,
Sandalium, torques, tremulæq; in vertice cristæ,
Supparus atque sagum, loricáque, limbus, abolla,
Centones, trabea, cum cyclade, læna, calyptra,
Paludamentum, femoralia, bardocucullus,
Calceus, atque ocreæ, conus, pileusq;, galerus,
Cum soleis, crepidæ, socci, celsiq; coturni.
Sunt etiam omnigenum delectamenta ciborum,
Siue ea dura fames reperit, siue ipsa voluptas:
Panis & intritum, simul & bellaria, pultes.
Assáque cum frixa atque elixa carne, medulla,
Condimenta salis, mox & prædulcia mella,
Saccaron, offa, garum, tucceta, tomacla, polenta,
Cum pulpamento, scriblita, botellus, & ouum,
Artocreaq;, fauusq; recens, obsonia, manna,
Pappáque, farcimen, petaso, placenta, butyrum.
Durati sale terga suis, cum sumine perna,
Caseus, isicium, succidia, deinde minutal,
Castaneæq;, nucesq;, & suaue rubentia mala.
Hisq; epulis grati miscentur sæpe liquores,
Hydromel, & mulsum, ceruisia, nectar, acetum,
Potus aquæ, zythum cum succo pinguis oliui,
Cumque mero vinum dilutum, ac defruta, mustum,
Hinc muriæ latices, & opimi copia lactis,
Vile serum, vapæque stupor, siceræque sapores.

Verùm

Vexùm hæc humana diuis concessa saluti,
Morborum ingenti contrapensantur aceruo:
Quos tandem pariunt vitiati in corpore primum
Quatuor humores, cholera & cum sanguine phlegma
Atque melancholia: & rerum peruersus abusus.
Nanque aer, & cibus & potus, motusqúe, quiesqúe,
Somnus & excubiæ, replendiqúe insuper ordo,
Affectusqúe animi, multum dominantur vtranque
In partem, et prauo generant moderamine morbos:
Qui partim chronici, partim nominantur acuti.
Hinc tußis, spasmus, tetanus, dispnœa, catarrhus,
Vulua, singultusqúe & cum raucedine rheuma,
Strumaqúe cum gibbo, sycosis, verruca cicatrix,
Vomica, lichenes, varix, glaucoma, parotis,
Et cum furfuribus, cumqúe intertrigine scyrrus,
Lentigo ac scabies, & cum porrigine psora,
Phthiriasisqúe scatens, furunculus, inqúe petigo,
Et quæ vicini corpus contagia lædunt,
Mydriasisq́; simul madarosis, opisthotonosqúe,
Polypus & graueolens ozæna, grauisq́; coryza:
Hinc & alopeciam sequitur, cephalæa, veternus,
Leucoma, ægilops, ophtalmia, branchus & aphta,
Trichiasis, vitiligo, simulq́; scotoma, synanche,
Et tactu mentagra nocens, epinyctis & alphos,
Phthisis, erisipelas, anorexia, syncope & asthma:
Moxq́; paronychiæ morbo subit algos odonton,
Hemicrana grauis, manuum nodosa chiragra,
Lepra, elephantiasis, cancer, gangræna, parulis,

Hernia, prurigo, rhagades, tumidaq́; marisca:
Inde gonorrœæ labes, stranguria, & horror,
Ischias, arthritis, phagedæna, podagra, marasmus:
Tum dysenteriæ fluxus, & tormina ventris.
Cumq́; diarrœa, lienteria atque tenasmus.
Icterus, ascites, simul hæmorrois & hydrops,
Bulimus, & languens dispepsia, calculus, ichor,
Colica, lithiasis, dysuria, mox diabetes,
Cumq́; Priapismo bubon obscœnus: at inde
Cœliacus morbus, pleuritis & enterocele,
Cardiacusq́; dolor, tonsilla, nephritis & anthrax,
Incubus, hydrophobus, raptaq́; epilepsia mentis,
Quem morbum herculeum dicunt, sacrumq́; caducumq́;
Infaustum inter suffragia commitialem,
Nec paralysis abest, pariterq́; epidemica pestis,
Ecstasis, & maniæ furor, atque insana phrenitis.
Ileos, abscessusq́; graues, apoplexia morbus
Sonticus: hinc herpes, & condyloma sequuntur,
Exanthema, simulq́; oscedo, cachexia, phlegmon,
Pulmonis spleniśq́; labor, cephalalgia, febres,
Hectica cum putrida, tritæa, & ephemera, causon,
Quartana atque aliæ, quarum discrimina nouit,
Qui solus mundi cunctas speculatur abyssos.
At nos chiliadas rerum numerare parati,
Vocibus in medio priuamur: nec tamen ista
Nomina cum proprijs pigeat perdiscere rebus.
Cætera quæ restant, nec sunt numerata sub istis
Versibus, explebunt doctorum scripta virorum.

Nos

Nos quoque difficili functi mea musa labore,
Cum perculsa graui premerentur pectora fluctu,
Arma inter media, & rabiosam dæmonis iram,
Carmina nunc alios potius cantare sinamus.

Poëseos Homeri. Finis.

DE MVNDI CREATIONE AC CONSTITVTIONE BREVIS INSTRVCTIO, RVMOLDO Mercatore Gerardi F. autore.

STVDIOSVS Geographiæ ante omnia consideret mundi creationem, hoc modo. Deus constituto puncto, quod nunc mundi centrum est, pro sede & quiete grauium, massam liquidam informem creans, quam chaos vocant, illi eam iniecit, excitatoque vehementi spiritu eam agitauit, agitando crassiora grauioraque discreuit, quæ centro se ad æquilibrium applicantia, terram ac mare in vnum corpus figuræ sphæricæ dederunt, cuius centrum punctus ille qui sedes est grauium existit, supra hoc corpus vt leuiora & nobiliora quæque ita superiorem locum obtinuerunt, lucidaque materia in globos paulatim collecta, lunam solem, stellasque reddidit, quæ ratione primi mobilis, supremi inquam cœli

ſuper polis æquinoctialis ſiue mundi ab ortu in occaſum rapiuntur, noctem diemque diuidentes, at ſuper alijs polis, eclypticæ videlicet, proprio motu ab occaſu in ortum, aliæ citius, aliæ tardius circumuoluuntur. Vt autem terra habitationi animalium accommoda fieret, ſpiritus ille quo placuit Deo vndas in altum attollens, alibi montes & altiorem terræ aream congeſsit & ſolidauit, alibi cauaturas & ſinus effecit, in quos fluxilis aqua deſcenderet, & quo in æquilibrio penderet tota machina, noſtræ continenti quæ Aſiam, Africam & Europam comprehendit alteram quam Americam ſiue nouam Indiam vocant ex oppoſito obiecit, & quia hæ duæ continentes pro maxima parte ſupra æquinoctialem verſus polum arcticum ſunt ſitæ, ideo his ſub polo antarctico tertiam continentem oppoſuit, maribus vndique inter ſe communicantibus, vt tota terræ mariſque machina vndique æquilibris eſſet & conſiſteret, omneſque partes ex quauis regione adnauigabiles redderentur. Hæc obiter ex Patris mei in ſuam Coſmographiam lucubrationibus annotare volui, vt naturali orbis ſpeculatione imbueretur Lector, & ad altiora eius conditi myſteria aditum nanciſcatur.

Huius iam ſphærici corporis conuexam ſuperficiem contemplaturus Geographiæ ſtudioſus, aſtris illud ſubijci & pro illorum ſitu varia ipſi accidentia contingere obſeruet, quæ ratione circulorum, quibus aſtrorum motus, diſtantiæ & tem-

& tempora determinantur, illi obueniunt. Sunt autem circuli ad Geographiam cognitu necessarij, Aequinoctialis illique Paralleli siue æqui distantes, & Meridiani. Porrò quia hi circuli in plano non eodem modo quo in sphæra exprimi possunt, quod sphæræ superficies in planum seruatą eadem partium ad inuicem habitudine depingi nequeat, sciet lector nos eam complanandæ sphæræ rationem secutos esse, quam Gemma Frisius in suo planisphærio adinuenit, quæ omnium longè optima est. Et si enim gradus à centro versus circumferentiam crescant, vti in gradibus æquinoctialis vides, tamen latitudinis longitudinisque gradus in eadem à centro distantia eandem ad inuicem proportionem seruant, quam in sphæra, & quadranguli inter duos proximos parallelos duosque meridianos rectangulam figuram habent, quemadmodum in sphæra, ita vt regiones vndiquaque omnes natiuam figuram obtineant, sine omni tortuosa distractione, crescente tamen versus exteriora magnitudine, propter graduum longitudinis latitudinisque incrementum, quod dixi, ex quo etiam fit vt paralleli, qui in sphæra æquatori sunt æquidistantes, hic circulares appareant, cum æquator sit recta linea, per medium hemisphærij media inter vtrumque polum distantia ducta, quæ diuiditur in 180. gradus, quippe dimidium tantum æquinoctialis in vno circulo, dimidium alterum in altero continetur, quia dimidium totius sphæricæ superficiei tantum in vno cir-

culo comprehendi poteſt, nequaquam tota, ita vno circulo totam veteribus cognitam continentem comprehendimus, nimirum Europam, Aſiam & Africam, Nouum autem orbem ſiue Indiam nouam altero circulo, Continente interim auſtrali in vtrumque circulum incidente. Dicitur autem æquinoctialis circulus ab æquinoctio, quod ſol in eum perueniens efficit, quod bis in anno contingit, circa 11. diem Martij, & 14. Septembris, Sol enim ſuper polis zodiaci proprio motu, anno vno eclypticam permeat oblique æquinoctialem ſecans & ad 13. cum dimidio gradus ab illo verſus vtrumque polum recedens, vbi tropicus Cancri & Capricorni notantur. Meridiani ſunt circuli per æquinoctialis ſectionem quamuis & polos mundi deſcripti, ideo Meridiani dicti, quod in illo conſtituto ſole meridies ſit omnibus qui ſub eodem hemiſphærio duobus polis terminato habitant.

Nunc quid hi circuli mutationis quæve accidentia in regiones & diuerſas ſphæræ partes adferant, audi. Meridiani longitudinem locorum & longitudinis ſiue horarum differentiam duorum quorumlibet locorum indicant. Conſtituerunt autem Geographi initium longitudinum in meridiano qui per occidentaliſsimam inſulam Canariarum dicitur, & inde verſus orientem longitudinem computant, quia proprius aſtrorum motus per quem longitudines locorum obſeruantur, ab occaſu in ortum tendit. Differentia autem longitudinis duorum locorum

eorum, ex diſtantia meridianorum vtriuſque, quæ in æquinoctiali pateſcit, cognoſcitur. Vt ſi Meridiani illorum 30. gradibus in æquatore à ſe mutuo diſtent, erit differentia longitudinis eorum 30. graduum, & duarum horarum differentia, ita vt cum in occidentaliore fuerit hora decima, in orientali erit duodecima, duabus enim horis ſol ab orientalioris meridiano peruenit ad occidentalioris meridianum motu diurno, etenim 24. horis totum globum terræ ambit. Præterea diuiduntur meridiani in 360. gradus, quemadmodum æquinoctialis, & numerantur ab æquinoctiali vtrimque ad polum 90. gradus, qui verſus polum Arcticum deſignant latitudinem boream, verſus Antarcticum verò meridionalem, & quotquot in eodẽ meridiano eodemque hemiſphærio polis terminato ſunt loca diuerſæ latitudinis, eandem ſemper eodem momento horam numerant, vt cum vnus computat horã 8. cum dimidia, reliqui omnes tãtundẽ numerãt. Paralleli itẽ circuli (quos minores vocãt, quia eorũ planities nõ per centrũ mundi trãſit) à Meridiani gradibus deſignãtur iuxta eorũ latitudinẽ, ſic tropici duo, Cãcri & Capricorni, gradũ latitudinis 23. cum dimidio in meridianis omnibus occupãt, Arcticus autẽ & Antarcticus circuli 66. cũ dimidio, qui circuli zonas quinq; cõprehendũt, inter duos tropicos ſitã, torridam vocãt, quod ſol perpetuo ſupra eam verſans omnia ibi torreat, & intẽſum calorẽ adferat, duę inter tropicos & Arcticũ Antarcticũq; tẽperatæ dicũtur,

quod medio inter calidiſsimam & frigidiſsimam ſe habeant, reliquæ intra Arcticum vna, & intra Arctanticum altera, frigidæ ſunt, vtpote à ſole remotiſsimæ. Rurſum quia in diuerſa latitudine etiam diuerſa ſit quantitas diei cuiuſque, diſtinxerunt vniuerſam latitudinem ab æquinoctiali ad polum vſque per certos aliquot Parallelos, in quibus primus latitudinem notat in qua maxima dies maximaque nox ſuper perpetuam æqualitatem, quæ eſt in æquinoctiali quadrante vnius horę creſcit, ſecundus illam in qua dimidia hora, tertius in qua tribus quadrantibus & ſic deinceps donec parallelorum vicinitas per ſemihoras tantum differentias conſiderat, tandem etiam per horas integras, dies, hebdomedas, menſes, ita vt ſub polo vnus tantum dies vnaque nox totum annum emetiantur. Inter hos parallelos conſtituerunt Veteres quinque ſpacia quæ climata appellarunt, primum à tertio parallelo ad quintum vſque, ſecundum hinc ad 7. tertium ad 9. quartum ad 11. quintum ad 13. Hucuſque putabant orbem habitari, vlterius non, propter intenſius frigus, ab æquinoctialem etiam vſque ad tertium vtrimque parallelum[quod eſt medium torridæ zonæ] propter nimium æſtum inhabitabilem credebant, poſteriores tria climata verſus polum addiderunt, at tandem inuentum eſt totam vndique terram habitabilem eſſe, & ſub æquinoctiali temperatiorem opinione calorem eſſe, propter breuiorem Solis pręſentiam, vt qui perpetuo 12. tantum horis ſu-

ris supra horizontem manet, in frigidissima autem zona propter longissimos dies æstate calidiorem opinione aërem esse, noctuque propter ventorum raritatem ac debilitatem minus infrigidari. Hæc Mercator.

SEQVVNTVR PRAECEPTIONES ALIQVOT DE SPHAERA, QVO FACILIVS RVDES ADHVC ANIMI

Librum primum poëtæ nostri, in quo Astronomica vt plurimum tractat, percipere possint.

SPHAERA, globus est Mundi effigiem circulosque continens. Ideo de sphæra Græci & Latini autores principio scribunt, quod inter omnia artis istius instrumenta, nullum propius aut apertius Mundi naturam, formam, motum, circulos exprimat. Quanquam in sphæris non inueniuntur orbes Saturni, Iouis, Martis, Solis, Lunæ: tamen illi, si Comodè fieri queat, imponi etiam possunt. Nam quantò sphæra plures complectitur Mundi partes, tantò est perfectior. Sphæra duplex est: Recta vbi polus vterque horizonta contingit: & obliqua, in qua alter Mundi polus altero sublimior est.

DE ORBIBVS.

PARTES sphæræ siue Mundi sunt præter quatuor elementa, orbis decimus siue extremus, orbis nonus orbis octauus, qui & firmamentum & Cœlum nuncupatur: deinde orbes septem stellarum errantium seu planetarum, Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ. Cæterum æuo Aristotelis, Ciceronis ac Plinij non plures quàm octo inuenti erant: quorum supremus propriè dictus est Coelum, à cœlando quòd varijs sit cœlatus rerum figuris. In eo sunt omnes stellæ præter septem, quæ obliquo motu sub ipso feruntur. Sol terram, terra Lunam magnitudine vincit. Solis magnitudinem defectus Lunæ indicant. nam si minor esset quàm terra, vmbra in tantam cresceret amplitudinem, vt singulis mensibus per quinque aut sex dies Lunam occultaret. Cùm igitur certum sit Solem esse maiorem terra, certum quoque est incredibilem esse distantiam, quæ sidus facit tam paruum videri. Rursus certum est maximum naturæ miraculum, tantam esse posse celeritatem sideris, vt intra diei spatium vniuersum Orbem lustret. Indidem alia admiratio existit, qua ratione Cœlum, quod non minori interstitio à Sole, quàm à terra Sol abest, intra tempus idem circumagatur. Decimus orbis quotidie ab exortu per Meridiem in Occasum decurrit, & circulum absoluit horis viginti quatuor. Hoc motu extremus orbis alios omnes interiò-

teriores secum quotidie circumducit. Proinde motus idem etiam motus Mundi cognominatur, quòd eo omnia circumagantur, præter quatuor elementa. Orbes interiores motum habent obliquum & contrarium huic, ab Occidente per Austrum in Orientem. quem non iisdem temporum spacijs omnes absoluunt. nonus namque orbis 49000. annorum intercapedine circuitum perficit: octauus 7000. annorum: Saturni orbis annis tricenis: Iouis duodecim: Martis binis: Solis, Veneris, Mercurij singulis, Luna mense.

AXES ET POLI.

Axis est dimetiens, circum quam orbis aliquis conuertitur. Licet in omnibus circulis demonstrari possit axis; tamen tres solùm axes sunt, quibus in Astronomia vtimur. Primus est axis Mundi, qui est diametros Mundi circum quam ipse decurrit. huius duo fines dicuntur duo poli vel vertices Mundi, quorum alter nobis conspicuus à duabus arctis nominatur Arcticus: alter huic oppositus sub Terra latens Antarcticus vel Austrinus. Secundus est axis Signiferi circum quam Signifer conuertitur; cuius poli à Mundi polis viginti tribus gradibus & quinquaginta minutis distant. Tertius est axis horizontis, cuius duo sunt poli; alter supra caput nostrum, alter sub pedibus nostris supra caput antichthonum.

DESCRIPTIONES ALIQVOT VOcum, quibus & Geometræ & Astronomi vtuntur.

QVATVOR Geometricæ principia ſunt: punctus, linea, ſuperficies, corpus. Punctus magnitudinis principium eſt, quod in nullas diuidi partes poteſt. Linea, longitudo eſt ſine latitudine; vel vt Græcis vtar verbis: γραμμή ἐςι μῆκ⊙ ἀπλατές. Duplex eſt, recta & curua. Linea recta, à puncto ad punctum protractio breuiſsima eſt, huius ſpecies ſunt: Axis, linea circa quam orbis vertitur; & diametros, recta linea figurarum longiſsimè patet, ex æquo ſecans. Superficies latitudo citra profunditatem eſt, hæc formas tres complectitur: concauam, planam, conuexam. vnde etiam ſpecula in genera totidem deducuntur. Corpus latitudo cum profunditate. Circulus forma plana eſt, quæ vna in orbem ambiente linea compræhenditur. Lineam circumductam, & ambitum circuli, & περιφέρειαν vulgo nominant. Circuli omnes in portiones duodecim diuiduntur, quæ ſigna vocantur. Signum deinde in triginta gradus. Gradus in ſexaginta minuta. Minutum in 60. ſecunda. Secundum in 60. tertia. ſic deinceps vſque ad decima. Item gradus alio nomine pars dicitur. ſic dicimus ſolem eſſe in tertia parte Tauri, in quarta Leonis. Centrum circuli vel globi medium eſt. Orbis à globo differt, quòd hic ſolidus, ille concauus ſit: huic vna ſuperficies, illi duæ.

duæ. Angulus eſt duarum linearum mutuus contactus; & eſt triplex: Rectus, quando linea recta in rectam demiſſa, anguli vtrinque æquales ſunt. Acutus recto minor. Obtuſus recto maior.

DE CIRCVLIS.

CIRCVLORVM ſphæræ duo ſunt genera. Maiores dicuntur, qui Mundum ſecant in partes æquales, vel quibus idem cum Mundo eſt centrum. Minores, qui Mundum non diuidunt in partes æquas, vel quibus non idem centrum cum Mundo eſt. Maiores ſeptem à Græcis traduntur: Aequator, Signifer, duo Coluri, Horizon, Meridianus, Lacteus. Aequator, aut Aequinoctialis, eſt circulus cuius partes omnes æquo ſpacio ab vtroque Polo diſtant. Signifer, ſiue Zodiacus eſt via ſeptem ſtellarum errantium, vel ſub quo ſeptem ſtellæ errantes feruntur. huius latitudo duodecim continet gradus, quia tanta ferè Planetarum à medio, ſiue à Solis ſemita euagatio eſt. Partes Signiferi ſunt duodecim ſigna: Aries, Taurus, &c. Ex his oppoſita, ſiue diametro diſtantia ſunt: Aries & Libra, Taurus & Scorpio, Gemini & Sagittarius, Cancer & Capricornus, Leo & Aquarius, Virgo & Piſces. Quando Sol in Arietis initio eſt, æquinoctium Vernum habemus: in Libræ, æquinoctium Autumnale: in Cancri, Solſtitium ſiue longiſsimum anni diem: in Capricorni, Brumam vel breuiſsimum anni diem. Cùm Sol mouetur ſub Ariete, Tauro, ac Geminis, nobis & omnibus qui

citra

citra torridam zonam sunt. Ver est: quando sub Cancro, Leone, Virgine, Aestas: sub Libra Scorpione, Sagittario, Autumnus: sub Capricorno, Aquario, Piscibus, Hyems. Coluri duo sunt circuli per Mundi vertices ducti, quorum alter æquinoctia, alter brumam & solstitium contingit. Ita dicuntur, quod sint mutili & imperfecti, quoniam partes Austrino polo vicinæ, nobis nunquam exoriuntur. tametsi Signifer, Aequator ac Tropicus vterque nullo tempore toti apparent: paulatim tamen aliæ atque aliæ partes sursum nituntur; sic vt intra horas viginti quatuor circuitus perficiatur. Horizon est circulus qui conspectam Mundi partem ab inconspecta dirimit: Latinè finientem & finitorem nominamus. hic obliquus dicitur, vbi alter polus est altero sublimior. Rectus, vbi polus vterquè cernitur, vt sub Aequatore. Meridianus est circulus, qui per Mundi ac Horizontis polos ducitur: in quo Sol medios dies, mediasque noctes efficit. Hi duo circuli, finitor & Meridianus Mundum totum in partes quatuor ęquas dissecant. Lacteus circulus est qui Cœlo sereno solus cernitur. Quatuor circuli minores sunt: circulus Arcticus, circulus Antarcticus, tropicus Aestiuus, & tropicus Brumalis. Circulus Arcticus est, quem describit alter polus Signiferi circa polum Mundi Austrinum. Tropicus Aestiuus est, quem Sol describit ab Oriente in Occidentem solstitio, siuè longissimo Aestatis die. Tropicus Brumalis aut hybernus, quem Sol describit Bruma, id est, breuissimo

mo anni die. Vterque Tropicus gradibus viginti tribus & quinquaginta ferè minutis distat ab Aequatore. Eodem interstitio circuli Arctici à Polis distant. Circulus sphæræ omnes in formas duas diducimus, maiores & minores. Eosdem alio modo in genera tria diuidunt: παραλλήλους siue æquidistantes, obliquos, & per vertices ductos. Paralleli quinque sunt: Aequator, Tropici duo: & totidem Arctici. Obliqui tres: Signifer, Horizon, Lacteus. Per polos ducti, Coluri duo, & Meridianus. Paralleli sunt omnes circuli, qui motu Mundi describuntur, sed non omnibus vtimur. Nulli in sphæra circuli pinguntur, quorum non sit aliquis vsus, præter orbem Lacteum. Signifer enim viam demonstrat septem stellarum errantium. Aequator distinguit æquinoctia. Tropici extremas metas Solis comprehendunt. Arctici zonas frigidas & periscios. Coluri annum & Signiferum in quatuor partes diuidunt. Horizon & Meridianus ad ortus signorum & ad Cosmographiam pertinent.

QVAE MVNDI PARTES DEXtra ac sinistræ vocentur.

IN tota sydcrum contemplatione nihil est conducibilius quàm perspectum habere quę

Mun-

Mundi partes dextræ ac ſiniſtræ nuncupentur. Hac in re triplex autorum ſententia eſt. quippe Aſtronomi partem Mundi Eoam ſiniſtram, Occiduam dextram vocant. Plinius de Mundo in Occaſum currente: Semper illo in dexteram præcipiti. Geographi contra Orientem dexterum appellant Occidentem ſiniſtrum. Poëtæ verò totum hemiſphærium ab Aequatore ad Aquilonem nominant dextrum, alterum ſiniſtrum. Proinde Lucanus Arabum qui auxilio venerant Pompeio, vmbras Auſtrinas in Arctos ſiue noſtras repente mutatas eſſe memorat: Ignotum vobis Arabes veniſtis in Orbem, Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras. Hos enim prius quàm egreſsi erant Zonam torridam, vmbræ ſequebantur; poſt egreſſum præcedebant. Maro de Zonis: Quam circum extremæ dextrá leuaque trahuntur Cærulea glacie concreta atque imbribus atris. Et Ouidius: Vtque duæ dextra Cœlum totidemque ſiniſtra Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis. Quo rem expeditius memoria teneas, finge pectus vertere Aſtronomos ad Meridiem, vbi velociſsimus ſiderum curſus eſt, nam circa Polum vix ſtellæ mouentur: Geographos ad Polum, cuius altitudinem quærunt: poëtas ad Occaſum. tum facile cernas quô cuiuſque dextra ac leua tendat.

SIDE-

SIDERVM FIXORVM DEscriptio.

QVATVOR ſtellarum genera ſunt: Fixæ quæ in Cœlo hærent, ita dictæ, quòd ſemper ſeruent eandem inter ſe diſtantiam. Hæ à Græcis nuncupantur ἀπλανεῖς. Erraticæ ſunt ſeptem ſtellæ quæ ſub Cœlo feruntur. Deciduæ ſunt, quas noctu videmus decidere, cùm per nubem incenſam flamma diſcurrit. Crinitæ ſtellæ ſunt incendia magna hærentia in aëre, quas Græci à coma Cometas vocant. Stellas fixas nonnulli in Arctoas, Signiferi, atque Auſtrinas diuidunt. Iam naturæ ductu ab Aquilone in Auſtrum progrediemur. Helice maior vrſa eſt: Cynóſura minor; quæ in multis Europæ partibus non occidunt. Maiorem Græci in Mari obſeruant, quòd ſtellas habeat inſigniores: Phœnices minorem, quoniam ipſa propior polo ſit, minuſque moueatur. Septentriones ſtellæ ſeptem ſunt in Helice ſiue Cynoſura: vnde Virgilius: Arcturum, Pleiadaſque, Hyadas, geminoſque Triones. Et Victruuius: Quæ ſtella elucet circum caput maioris Septentrionis. Sæpius id nomen Helicæ ſoli, ob ſideris magnitudinem tribuitur. Plinius: Booten, qui ſequitur Septentriones. Hos vulgus etiam Plauſtrum ab equorum rotarumque ſpecie nominat. Stellam extremam, quæ in Cynoſuræ cauda eſt, nautæ polum nuncupant, quòd proxima ſit Axi. Abeſt tamen à vertice vero quatuor propè partibus, ſic vt Axis

cum termino caudæ efficiat triangulum. Bootes sidus est quod Helicen siue maiorem Vrsam sequitur: alio nomine Arctophylax dictus, & custos Erimanthidos vrsæ. Arcturus stella magna inter Bootæ pedes est: hanc vrsæ caudam dicere posses si etiam caudati essent vrsi, vnde & vocis ratio sumta. Virgilius: Sub ipsum Arcturum tenui sat erit suspendere sulco, hoc est, sub Arcturi exortum matutinum. Lucidum sidus leuo Heniochi humero insidens Capra nuncupatur Olenia, ab Oleno Arcadiæ vrbe, vbi ipsam esse nutritam arbitrantur. Ouid. Nascitur Oleniæ sidus pluuiale Capellæ. Hædi duæ stellæ in Aurigæ vel Erichthonij manu sinistra sunt, de quorum exortu plerique scripsêre. Circa Cicnum alatus equus, quem Pegasum vocant. hunc Ouidius è sanguine, qui ab exciso Medusæ capite defluxit, genitum esse ait in Fastis: Creditur hic cæsæ grauido ceruice Medusæ Sanguine respersis prosiluisse comis. Eundem & volucrem fuisse idem testatur: Huic supra nubes & subter sidera lapso Cœlum pro terra, pro pede penna fuit. ipsúmque inter sidera relatum esse refert: Iamque indignanti noua frena receperat ore, Quum leuis Aonias vngula fecit aquas. Nunc fruitur Cœlo quod pennis ante petebat; Et nitidis stellis quinque decemque micat. Pleiades, stellæ septem in dorso Tauri, septimam tamen vix cernimus. De his Germanicus Cæsar in Arati interpretatione: Septem traduntur numero, sed

ro, ſed carpitur vna deficiente oculo diſtinguere corpora parua. Nomen habent ἀπὸ τοῦ πλεῖν, hoc eſt, nauigando, quod ortu ſuo nauigationis tempus oſtendant. hæ verno tempore exoriuntur, & Autumno occidunt. vocantur & Atlantides, quòd ſeptem Atlantis filiæ ſint, inter quas & Maia Mercurij mater. Virgilius: Multi ante occaſum Maiæ cœpêre. Virgiliæ quoque vocitatæ ſunt, quòd vere oriantur. Pleiades ergo, Atlantides aut Vergiliæ ſeptem ſtellæ in Tauri dorſo ſunt. Hyades ſtellæ quinque in ſigni eiuſdem capite, ita dictæ, quòd non ſine pluuia exoriantur. eaſdem Plinius Succulas vocat his verbis: Qualiter in Succulis ſentimus accidere, quas Græci ob id pluuio nomine Hyadas appellant. De vtroque ſidere atque alijs modo dictis Homerus etiam in Iliade ſcripſit. Stellæ Arctoæ ægrè occidunt, Auſtrinæ ægrè oriuntur. Sub pedibus leporem habet Orion; appellatus ita quòd ex vrina Iouis, Neptuni, & Mercurij ſit genitus. Sirius ingens ſidus eſt in ore maioris Canis; vnde & canicula vulgo dici conſueuit. cernitur in ſpeculo etiam medio die impoſito aquis contra Solem. Hæc ſtella cùm horis matutinis exoritur, Solis calorem mirè adauget. Eo tempore Eteſiæ ad dierum quadraginta ſpacium ſpirare dicuntur, vt flatus æſtum vtrumque leniat. ideo à ſiccitate nomen dedêre. Quidam falsò putant, eandem ſtellam Caniculam & Canem maiorem dici, decepti fortaſſe nominum ſimilitu-
 dine.

dine. Varro in lib. de Agricultura ſcripſit à ſolſtitio ad Caniculam dees quadraginta eſſe. vbi certum eſt eum de Sirio, non de Cane maiore loqui. Procyon ſiue Anticanis, Canis minor eſt, ſic nominatus quòd ante Sirium oriatur. Cic. Anticanem Procyon Graio qui nomine fertur. Canopus ſidus eſt in ſummo Argus gubernaculo. Hic errorem inſignem apud Plinium ac Proclum, qui lectorem remorari ſolet, oſtendemus. Plinij verba hæc ſunt: Canopus, à Rhodo abſconditur, magiſque Alexandrinæ. Proclus circa finem libri quem de ſphæra ſcripſit, Canopum in Rhodo ægrè conſpici ait, & Alexandriæ non cerni. Quamuis vtrunque doctiores fuiſſe conſtat, quàm vt tam humili in re erraſſe cenſeantur. ſed vel Mathematici cuiuſdam autoritatem ſecuti ſunt, quemadmodum Solinus circa operis initium de Horoſcopo Romano, vbi Veneris ſidus Soli fuiſſe aduerſum ait: vel ipſi negotio non ſatis perſpecto, & cognitione grauiore impediti, hæc prodidere. Error manifeſtus eſt: nam ſidera omnia Auſtrina, inter quæ Canopum numerant, commodus Alexandriæ, quàm in Rhodo inſula cernuntur; Alexandria namque in Auſtrum magis quàm Rhodos procedit. Nemo tamen leuitate tanta ſit, vt autores illi hæc ignoraſſe exiſtimet, maiora non ignorauerunt. in Plinio certè multa leguntur, quæ caſtigatorum inſcitia atque audacia deprauata ſunt.

DE

DE TRIPLICI COELESTIVM *ſiderum ortu & occaſu.*

SIDERVM horum poëtæ exortum triplicem fecerunt: Matutinum, quem Græci κοσμικὸν vocant, quando ſidus manè cum Sole oritur. de quo Virg. Candidus auratis aperit cùm Candidus annum Taurus,& aduerſo cedens Canis occidit aſtro. Veſpertinum ſiue ἀχρονικὸν, cùm ſtella veſperi Sole occidente exoritur, velut apud Ouidium videre eſt: Quatuor autumnos Pleias orta facit. vbi per quatuor Virgiliarum reditus annos totidem intelligit. Et heliacum quando ἄστρον poſt Solis tranſitum tantò ab eo ſpacio abeſt vt cerni poſſit. De hoc ortu Virgilius: Cnoſiaque ardentis decedat ſtella Coronæ. Triplicem quoque occaſum cognominibus ijſdem deſcribunt. Matutinum, cùm ſtella Solis ortu occidunt. Virg. Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur. Debita quàm ſulcis committas ſemina. Iterum: Multi ante occaſum Maiæ cœpêre: ſed illos expectata ſeges vanis eluſit ariſtis. Veſpertinum quando veſperi cum Sole abeunt, quemadmodum tempore Verno Atlantides. Denique Heliacum, cùm propter Solis acceſſum ſidus videri deſinit. hoc modo Arietis ſignum circa Vernum æquinoctium occidit: Libræ autumno: Cancri ſolſtitio: bruma Capricorni. Nam omnia ſigna, quæ ſimul oriuntur, etiam ſimul occidunt, propter horizontis obliquitatem.

ASTRVM, SIGNVM, SIDVS, Stella.

QVOD ἄστρον Græci, nos ſidus & ſignum vocamus. nihilque eſt aliud aſtrum.ſidus vel ſignum,quàm animalium aliarumque rerum in Cœlo effigies, ex pluribus conſtans ſtellis.Stella ſingularis eſt. Ad eundem modum Græci: ἀστὴρ ἄστρου διαφέρει, ὁ μὲν ἀστὴρ ἕν ἐστι. τὸ δὲ ἄστρον ἐκ πολλῶν συνέστηκεν. Vt, Aſtræa,Scorpio,Heliҫ,Argo propriè aſtra,ſigna, aut ſidera dicenda. At Arcturus, Hœdi, Sirius, Canopus & Planetæ ſtellæ,non ſidera vocantur. verùm ſermonis ornatioris & tędij leuandi cauſa, veteres crebro, licet minus propriè, ſideris nomen pro ſtella poſuêre.

QVID SIT STELLARVM longitudo,latitudo,& declinatio.

STELLARVM tum fixarum, tum errantium longitudo earum ab Arietis initio diſtantia eſt. Vt partium quinquaginta duarum interuallum, Vergiliarum longitudo dicitur: eæ enim ſeculo noſtro in Tauri parte vigeſima ſecunda ſunt.Latitudo à zodiaci medio diſceſſus eſt.Hic duplex,Arctous Auſtrinuſque.Declinatio ſtellarum, diſtantia ab Aequatore.hæc quoque duplex: Auſtrina, & Arctoa. Terrarum verò aut vrbium longitudo, earum diſtantia eſt à For-

à Fortunatis insulis. Latitudo est distantia loci ab Aequinoctio seu Aequatore, vel Axis ab Horizonte. Vt Capræ polum Arctoum spectantis longitudinem esse dicimus partium circiter septuaginta: latitudinem tricenum, declinationem quinquaginta. Et Crateris esse longitudinem partium centum septuaginta: vnde viginti latitudinem: declinationem quindecim. Smyrnæ longitudo gradibus septem & quinquaginta constat: latitudo triginta sex.

DE STELLIS ERRATICIS.

HAEC in vniuersum de planetis obseruanda: Saturni stella φαίνων nuncupatur, vt Cicero autor est: Iouis φαέθων. Martem ab ardore πυρόεντα dicunt, Gradiuum sæuit, & Quirinum cùm tranquillus est. Inde Romani, quòd gens Martia ac bellicosa esset; Quirites dicti. vel vt alijs placet, nomen à Romulo acceperunt, qui itidem Quirinus vocitatus est ab Hasta, quæ Sabinorum lingua quæris nominabatur, qua crebrò vtebatur. Medium nomen Lucanus circa primi finem vsurpat: Quid tantum (inquit) Gradiue paras? Veneris stella à Græcis φωσφόρος & ἕσπερος, à nostris Lucifer ac Vesper vel Vesperugo nuncupatur. Plautus: Neque Vesperugo, neque Vergiliæ occidunt. Mercurius, στίλβων & Cyllenius. Posteriore eodem loco Lucanus vsus est: motu-

que celer Cyllenius hæſit. Prius à radiando ſiue coruſcando ſumptum. Platonici Planetas metallis comparant: tribuunt enim Soli aurum, Lunæ argentum, Saturno plumbum, Ioui ἤλεκτρον, Marti ferrum, Veneri ὀρείχαλκον, Mercurio ſtannum. At enim qui paſsim de metallorum Metamorphoſi ſcribunt, plumbum Saturnum nuncupant, ſtannum Iouem, ferrum Martem, aurum Solem, æs Venerem, viuum argentum Mercurium, argentum Lunam. Arabes Soli cerebrum & cor aſcribunt, Lunæ ſtomachum, Saturno ſplenem, Ioui hepar, Marti ſanguinem, Veneri renes ac genitale ſemen. Mercurio linguam & os. Color Saturno candidus, Ioui clarus, quod inter ſtellæ ſuperioris rigorem ardoremque inferioris medius feratur: Marti igneus, Lucifero candens, Veſperi refulgens, Mercurio radians, vnde & ϛίλβοντα appellauerunt: Lunæ blandus, Soli cùm oritur ardens, poſtea radians. Denique Saturni Martiſque ſtella pernicioſæ dicuntur: Iouis ac Veneris, ſalutares: naturæ vtriuſque Sol, Mercurius, Luna. Septem homini numera à planetis totidem tribui ſeu roborari videntur: contemplationis acumen gubernandi poteſtas, animi robur, claritas ſenſuum, amoris ardor, interpretandi ſubtilitas, fœcunditas generandi. Contemplationis domum Saturnus miniſtrat: imperandi potentiam Iupiter: magnitudinem animi Mars: Sol ſenſuum opinioniſque claritatem; amorem Venus inſpirat: pronunciandi & interpretandi ſoler-

tertiam Mercurius adiuuat: generationis officium, Luna. Tres in Mundo globi sunt omnibus gentibus conspicui, Sol, Luna, Terra. Sol distinguit tempora, Luna ducit aquas, Terra continet mortalium genus.

DE MOTV PLANETARVM.

STELLAE errantes quotidie cum Mundo vertuntur ab Ortu in Occasum, præter quem motum alium habent aduersum huic per duodecim signa, quem Saturnus perficit annis triginta, Iupiter annis duodecim, Mars duobus: Sol, Venus, Mercurius singulis, Luna mense. Quo pacto eędem stellę in diuersas Mundi plagas ferantur, quomodo Solis sidus cursum peragat quotidie ab Ortu in Occasum, & quotannis ab Occasu in exortum, hac similitudine poterit demonstrari: Si in rota inter axem & circuitum formicæ septem per totidem circulos moueantur à dextra manu per superiorem partem ad manum sinistram, voluaturque rota à leuo latere in dexterum, necesse erit eas contra rotæ versationem incedere, & illam, quæ proximum centrum habuerit, ocyus motum absoluere: quæque extremum orbem rotæ peraget, etiamsi æquè celeriter ambulet, propter magnitudinem circuli multò tardius perficere cursum. Communis autorum sententia est stellas orbibus infixas esse, & non nisi cum illis verti, quam nec probare nec refutare quispiam temerè ausit. Etenim cùm aër ille per quem Sol incedit, te-

maior esse appareat, quàm iste qui infra Lunam est, mirum videatur sic stellam in orbe fixam esse, vt nodus est in ligno: mirum item Solis, Lunæ, Veneris sidera moueri non posse, nisi vnà cum orbe in quo hærent. Fortasse non absurdum foret dicere, stellas ita circumire Mundum, vt nos per terram circumfusum secantes aëra incedimus. Cæterum siue planetæ soli, siue cum orbibus moueantur, quando vtrunque incertum est, haud magno conatu seu temporis dispendio indagandum fuerit. Id vnum constat, & Solem & Lunam incredibili celeritate intra quatuor & viginti horas ambire Terram: ac motu contrario Solem anno, Lunam mense signorum zonam percurrere, quod oculis nostris fieri videmus. Orbes cum Mundo in Occasum volui credibilius forsan erit; eosdem cum stellis niti in exortum, dubium magis. Duos Solis motus hunc in modum Ouidius docet:

Ardua prima via est, & qua vix manè recentes
Enituntur equi; media est altissima Cœlo,
Vnde Mare & terras ipsi mihi sæpe videre
Fit timor, & pauida trepidat formidine pectus.
Vltima prona via est, & eget moderamine certo,
Tunc etiam quæ me subiectis excipit vndis
Ne ferar in præceps Tethys solet ipsa vereri.

Mox de altero:

Nitor in aduersum, nec me qui cætera vincit
Impetus, & rapido contrarius euehor Orbi.

Hic videmus Solem non retro ire, sed constanti incessu aduersus orbis extremi celeritatem niti.

Hoc

Hoc loco poëta motus duos deſcripſit, quorum prior quotidie perficitur, poſterior anni ſpatio, hoc eſt, dierum trecentum ſexaginta quinque & quadrantis vnius. Sol dictus eſt quod ſolus Orbem illuſtret, ſolus omnia videat, & ſolus ab omnibus videatur. Hanc lucem ideo nubila magna temporis intercapedine condunt, ne ſideris pulcherrimi, quemadmodum & rerum aliarum, ex vſu aſsiduo ſatietas ſit. In Sole tria cernuntur: radius ſingulis oculis propius: lumen per aëra fuſum ac omnibus commune: & lux quæ lumini præeſt, atque in ſtella ipſa conſpicitur. Solem medio ſpatio inter Cœlum Terramque ferri, Ouidij verſus memoriæ prodiderunt: Altius egreſſus Cœleſtia ſigna cremabis, Inferius terras; medio tutiſsimus ibis. Voluit namque rerum parens Deus ignem hunc non inter ſidera, elementorumve mutabilem materiam, ſed per aëra inanem, vbi nihil adurere poſsit, vagari. Stellæ tamen aliquot vtrinque vicinæ quandoque vruntur, vnde & exuſtas conſuetudo appellat. Sol ab Oriente in Occidentem celerrimè rapitur alterutro æquinoctio: tardiſsimè, ſolſtitio brumaque. Quanto enim ſtellæ polis viciniores ſunt, tanto tardius Mundi circuitu feruntur. Circa axem enim & motus & circulos equidiſtantes aſsiduè minui neceſſe eſt: & ſtellas Arctoas vix aut tardè moueri. Manifeſtum eſt ergo, quo Saturni, Iouis, Soliſque ſidera verticibus propiora ſunt, eò ſegnius ipſa in oras occiduas decurrere.

DE VMBRA TERRAE.

TERRAE vmbra ſemper à Sole diametro diſtat. illo enim oriente ipſa occidit, & occidente exoritur, media nocte in Auſtro eſt, meridie verò antichthonum hemiſphærium implet. Aeſtate humilis, hyeme ſublimis, & Solis altitudinem imitatur conuerſis anni temporibus. Quoniam Louanij ſolſtitio partibus ferè quindecim ab horizonte abeſt, ſicut medio die in Capricorno Sol: bruma tribus atque ſexaginta: æquinoctio vtroque triginta nouem. Eadem Sol luſtrante Cancri ſignum, hoc eſt, ſupremam abſida, productior: breuior hyeme circa brumalem circulum, vbi ſidus terræ proximum eſt. Hæc obſeruatio ad defectuum moras pertinet. ſiquidem æſtiuis menſibus acutione vmbra Lunam occultari, bruma contractiore ſentimus. Terræ vmbra perpetuo circuitu corpora animantium ſternit, componitque ad quietem Solis ſidus, vmbra terræ & centrum arcus Cœleſtis eodem motu circumaguntur.

DIFFERENTIA INTER SOLEM *ac Lunam, eorumque magnitudo.*

MAXIMARVM Mundi partium Solis Lunæque ſphæras exactius contemplabimus, eorumque diſcrimen propius intuebimur. Sub Sole omni momento meridies atque æſtas eſt. ille vbique prandentes cernit, mediof-

mediosve dies à noctium opacitate dimetiente distans: assiduè contuetur frondes flores, & rerum pulchritudinem amoenitatemque, comites semper duos habens Venerem ac Cyllenium. Contra Luna sola per tristes tenebras fertur, pauidasque vmbras: nihil ista nisi ignauos somnos conspicit; nullos aspicit in agris homines, vt etiam mortales omnes perijsse miretur. Ille pocula & conuiuia cernit, & quicquid in Orbe pulchrum est: hæc niue tectos montes & horridam naturæ faciem. Illi rerum imperium, Cœli, Terræ, stellarumque regimen Deorum cura dedit: huic nihil præter menstruos cursus, labores, atque etiam corporis interitus. Illi color aureus, argenteus Lunæ. Ille diurnus, Luna nocturna. Huc spectat vt eorum Terræque magnitudinem videamus. Hæc tricies nouies Lunæ σφαίραν continet, Sol amplior terra centies, sexages sexies. quod admirationi non erit, si globi capacitatem ex diametri longitudine quæsieris. Continet enim Solis dimetiens Terræ dimetientem quinquies & semissem. Estque proportio diametri Solis ad terræ dimetientem, quæ est numeri vndecim ad duo quintupla sesquialtera. Solis autem Cubus mille tercentum vnam & triginta partes tales continet, cuiusmodi Terræ cubus octonas complectitur. Cubus enim numeri vndecim, est mille tercentum vnum & triginta. Cubus verò binarij, qui est Terræ, octo. Subducto quoties id fieri potest, minore cubo, qui est Terræ, à maiore qui est Solis, cognoscitur cubi ad

cubum

cubum proportio, & quanto Sol maior terra sit. Inuenimus ergo centies sexagies sexies octo, in milletercentum vno & triginta. Terræ diametros Lunæ dimetientem complectitur ter & duas eius diametri portiones quintas. Estque ea proportio dimetientis Terræ ad Lunæ diametrum, quæ est septendecim ad quinque tripla super bipartiens quintas. Cubus numeri septendecim, quater mille nongenta tredecim. Cubus numeri quinque, & centum viginti quinque. maiore cubo per minorem distributo reperimus numerum centum viginti quinque tricies nouies in quater mille nongentis tredecim. Thales Milesius aiebat Solis septingentesimam partem Lunæ globo esse comparandam. Terram esse minore Sole, vel hoc argumento est, quod tam rarò Luna in eius vmbram incidat. Si enim adeò esset vasta ad Orbem totum, vt apparet, vix vnquam Luna lumen haberet, nisi omninò propinqua Soli. Hunc esse immensum sic Plinius demonstrat. quòd Idam montem latitudine exsuperet, dextra leuaque largè amplectens. Et quia æquinoctio vtroque omnibus sub Aequatoris orbe habitantibus simul cernatur in finientis vertice. Item quia circa Aestiuum circulum habitantium iisdem æquinoctiorum diebus, meridie, Septentriones vmbræ spectent, ortu verò Occasum. Et quòd Luna deficiente terræ vmbra in mucronem desinat. Ob duas causas Sol maior apparet hyeme quàm æstate, quòd

bruma

bruma nobis propior fit: & quòd per aëra nubilosum hyeme cernatur.

DE AEQVATORE.

CIRCVLORVM alij maiores, qui Mundum in partes æquales secant, vel quibus idem cum Mundo centrum est: alij minores qui orbem in partes inæquales diuidunt. Est & alia in παραλλήλους siue æquidistantes, obliquos & per Axem ductos distinctio, de qua alibi. Maiores septem à Græcis traduntur: Aequator, Signifer, κόλουροι duo, ὁρίζων, Meridianus, Lacteus. Aequator quem & Aequinoctialem appellant, est cuius partes omnes æquo spatio ab vtroque polo distant. Ita duabus de causis nominatur: quòd sub eo, in quacunque Cœli parte Sol fuerit, semper Aequinoctium fit: & quo Sole meante sub illo, dies noctesque pares in omnibus Terræ oris sint. Qua de re Vergilij versus: Libra die somnique pares vbi fecerit horas, Et medium luci atque vmbris iam diuidet orbem, Exercetæ viri tauros. Hoc ideo fit, quòd gentium omnium finitores, inter parallelos Aequatorem suum in partes æquales diuidant, tropicos verò in portiones impares.

QVARE SVB AEQVATORE BIS Aestas, quare solstitia, & duæ vmbræ.

GENTES Arctoæ æstatem in tropico solstitiali habent, Austrinæ in hyberno, & quibus latitudo nulla est, in Aequatore. Verùm quia circulum æstiuum Cancri sidus solùm contingit, æstatem in regione nostra

habere consueuerunt, cùm Sol in Cancro fuerit. Et quoniam orbem Brumalem tantùm Capricorni signum describit, plagis Austrinis æstas solùm erit, cùm Sol in Capricorni sidere fuerit. Atque Aequatorem signa duo tenent, Aries ac Libra, quæ in media Mundi parte altissima sunt, & per vtrunque Horizontis recti polum, id est, capitis verticem, & punctum huic aduersum feruntur. Proinde cùm in Arietis principio Sol fuerit, Aestatem habebunt, quando nobis æquinoctium erit, Solisque globus illis consistere videbitur. Vnde si in eo signo solstitium ijs esse dicimus, ita appellatum, quòd Sol in reditu, cùm altius scandere nequit, videatur stare. In Libræ quoque initio & æstatem & solstitium gentibus ijsdem esse. in æstiuo autem tropico, ac hyberno brumam atque Solis stationem. Itaque sub Aequatore bis æstum, totiesque brumam & solstitia quatuor haberi manifestum est. Duas quoque in eo Cœlo vmbras cerni, dextram ac sinistram, hoc est, Arctoam Austrinamque: Sole enim meante per Cancri sidus, vmbras iaci contingit, quæ in Austros procurrunt, has vocamus sinistras. Per Capricorni, pergentes ad Arctos, quæ appellantur dextræ. Aequinoctio vtraque planè nullas haberi. Hæc vmbrarum in medio Mundi ratio est, sed Meridianas intelligi velim. Matutinas enim vespertinasque quas plerique tradidere, & aliarum diei partium vmbras, cum oris alijs communes habent. nec quenquam adeò stupidum reperiri puto, qui manè eas in Occasum,

oaſum, veſperi in exortum iaci ignoret.

QVOMODO DIFFERANT SOLIS & Lunæ defectiones.

TRIBVS modis defectus diſtant: Primùm quòd in Lunę defectu extinguitur lumen: in Solis duntaxat occultatur. vnde fit vt Lunæ defectus vniuerſo Orbis appareat hemiſphærio: Solis autem illis, inter quos & ipſum Luna interponitur. Deinde Lunæ defectio omnibus eodem momento videtur: Solis verò minimè. Etenim prius Eois, poſt Occiduis plagis Sol aufertur, quanquam Luna ſub Solis globo graditur ab Occidente in Orientem. Poſtremò, quòd Lunæ defectus tempore omnibus æquo duret: Solis, quoniam maior alijs, alijs minor portio tegitur, nequaquam.

DE ZODIACI SIGNIS.

DIVIDITVR Signifer in ſigna duodecim: quorum Aries, Taurus, Gemini Verno tempori aſſcribuntur: Cancer, Leo, Virgo, Aeſtati: Libra, Scorpio, Sagittarius Autumno: Capricornus, Aquarius & Piſces Hyemi. Taurus ab Ouidio auerſus nominatur, quòd eo modo per aëra incedat: Per tamen auerſi gradieris cornua Tauri. Virgo ab Arato Aſtræa: à Vergilio Erigone: Qua locus Erigonem inter cheláſque ſequentes Panditur. Scorpionem duo occupare ſigna veteres dixère, & Libram priorem altri eius partem eſſe. Ouidius: Eſt locus in ge-

minos vbi brachia concauat arcus, Scorpius, & cauda flexiſque vtrinque lacertis, Porrigit in ſpacium ſignorum membra duorum. Signorum nomina aliquando per duodecim Signiferi partibus æqualibus accipiuntur, vt cùm Solem eſſe dicimus in tertia ſeu quarta parte Tauri. Interdum pro picturis ſiue ſimulacris quæ in ipſis collocantur, quorum aliqua minorem zodiaci partem occupant, vt Piſces, Aries, Gemini: aliqua maiorem, vt Leo & Virgo. Ea de cauſa Virgilius in his verſibus: Anne nouum tardis ſidus te menſibus addas, Qua locus Erigonem inter chelaſque ſequentes Panditur; Leonem & Virginem menſes tardos, id eſt, ſigna longa nuncupat. Arietis ſidus, cum in ipſo Luna eſt, capiti aſſignatur: Tauri collo: Geminorum humeris, brachijs, manibus: Cancri, pectori, ſtomacho, pulmoni: Leonis, dorſo ac lateribus: Virginis, ventri, viſceribuſque: Libræ lumbis, Scorpij pudendis: Sagittarij coxis: Capricorni genibus: cruribus Aquarij: Piſcium pedibus. Eadem quoque ſtellarum errantium domus ſunt: Leo Solis, Cancer Lunæ, Gemini ac Virgo Mercurij, Taurus & Libra Veneris, Aries ac Scorpius Martis: Iouis Piſces & Sagittarius: Capricornus cum Aquario Saturni. Nam vt veteres tradidêre: initio Mundi Sol in Leonis ſigno erat: Luna in Cancro: Saturnus in Capricorno: Iupiter in Sagittario: Mars in Scorpione: Venus in Libra: Mercurius in Virgine.

DIE-

DIERVM AC NOCTIVM LONGITVdo bifariam deprehendi poteſt.

DVOBVS modis diurna nocturnaque ſpatia inueniri poſſe haud dubium eſt: ſignorum ortu, & parallelorum ſectione. Singulis diebus noctibuſque ſigna ſex zodiaci oriri, atque occidere ſcimus. Proinde ſi partes diurnæ tardè emergant, longiora dierum ſpacia eſſe: ſi celeriter, breuiora neceſſe eſt. Nam, autore Plinio, quæ recta in exortu ſuo conſurgunt ſigna, longiore tractu tenent lucem: quæ verò obliqua, ocyore tranſeunt ſpacio. Quapropter ſolſtitio dies longiſsimos haberi apparet, quòd eo tempore Solem ſequantur omnia ſydera, quæ in obliquo orbe tardè incedunt: bruma breuiſsimos, quòd citò oriantur, inſequanturque eum reliqua. Aequatoris ergo partes omnes, quę cum ſignis ſex Solem ſequentibus oriuntur colligendæ, numeruſque totus in portiones quindecim diſtribuendus, ad hunc modum: Solſtitio à Solis ortu ad eius occaſum ſidera ſex oriuntur: Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, cumque ijs Mundi ſeu Aequatoris partes bis centum triginta ſeptem ac munita quadraginta ſex: qui numerus ferè ſex atque decem horas efficit. Aequinoctio vtroque cum ſignis diurnis nocturniſque partes 180. emergunt: quæ æqua dierum noctiumque ſpatia complectuntur. Bruma eo modo horarum octo diem eſſe comperies. Eadem ex circulis ſic deprehendas: Sol anno 365. parallelos ſiue æquidiſtantes orbes

depingit, interque tropicos centum octoginta duos. Horum arcus qui supra terram visuntur dierum horas continent; qui infra, noctium. Quocirca vtroque tropico in horas viginti quatuor descripto, facilè quot in circulis his horarum sectiones supra infraque finientem consistant, videris. Ante tamen sphæræ axem ad latitudinis gradum attollas oportet. Cum ea quippe orbium horum in finitore dissectio mutatur.

TERRAM IN MEDIO MVNdi fixam esse.

EXPERIMENTIS haud dubijs constat in medio Mundi fixam esse terram. Cæterum quid ita globum fixerit, admiramur, vt ne semel quidem se moueat. Quod si fieret, qui circa Mundi axem versamur, gentesque Arctoæ ab Vrsis duabus dicimur, sub Solis orbitam repente volueremur. Aethiopes contra ad zonas extremas descenderent. Forsitan terram parens natura quiescere iussit, ne repentina & aëris, & æstus, & rigoris commutatio mortalium genus quo nihil est fragilius, interimat. Miraculum longè maximum reor, tantum esse pectoris humani stuporem, vt neminem admiratio ista rapiat.

DE TERRAE ET AQVAE FORMA.

TERRAE forma non alia quàm Mundo est. Nam ab Aequinoctio ad Aquilonem euntes paulatim attolli polum vident, sidera-

deraque Austrina occultari, eò quòd spatia media intumescant. Discedentes verò ad Austrum, signa Austrina pari modo exurgere, Arctoaque deprimi conspiciunt. Inter Ortum atque Occasum non stellarum altitudo sed defectio formam indicat. quippe Lunç defectus alijs quarta hora, alijs quinta, siue sexta, cùm eodem omnibus tempore fiat, cernitur. Proinde quòd non vno momento vniuerso Orbi meridies sit, media nox, cæteræque dierum horæ; id tumor efficit. quoniam Solem non simul omnes exorientem cernunt; sed prius Persæ, inde Græci & Itali, postremò Hispani. Vnde fit vt singulis horis omnes dierum horæ simul sint, sed in locis diuersis. Quando enim nobis est meridies, alijs hora prima est, alijs secunda, alijs tertia, quarta, media nox. Aquæ tumorem duæ docent rationes: altera, quòd nauigio abeunte signa in littore posita videantur descendere, & tandem occultari; quòdque in Oceano nihil appareat præter aquam; cùm tamen editiores arbores, si plana ea esset, facilè cernerentur: altera, quòd guttę ac minimæ partes globi protinus eam recipiant formam. Est enim natura homogenij corporis, vt partes cum toto vim eandem habeant.

DE ZONIS.

ZONAE spatia sunt inter circulos minores comprehensa. Sunt autem quinque: frigidæ duæ sub Mundi verticibus, temperatæ totidem, & media torrida sub signifero. De his Ouidius:

Vtque duæ dextra Cœlum totidemq́; sinistra
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemq́; plagæ tellure premuntur:
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu.
Nix tegit alta duas, totidem inter vtrasq́; locauit.
Temperiemq́; dedit mista cum frigore flamma.

Et Virgilius:

Quinque tenent Cœlum zonæ: quarum vna corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni.
Quam circum extremæ dextra læuaq́; trahuntur
Cæruleæ glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter mediamq́; duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Diuûm, &c.

DE CLIMATVM RATIONE.

CLIMA spatium est inter Austrum ac Septentriones notabilem exortus Solis mutationem continens. Veteres septem climata tradiderunt; in quorum primo est Meroë, in secundo Syene, in tertio Alexandria, in quarto Rhodos, in quinto Roma, in sexto Boristhenes, in septimo Riphæi montes. Primi circa medium situm latitudo partium decem & sex: secundi viginti quatuor cum gradus vnius quadrante, tertij triginta & dodrantis, quarti triginta sex cum viginti tribus minutis quinti quadraginta vnius & trientis, sexti quadraginta quinque atque minutorum viginti trium, septimi quadraginta nouem dempto triente.

DE

DE AMPHISCIIS, PERISCIIS, HETEROSCIIS.

TERRAE totius incolas triplici vmbrarum genere discernimus. Amphiscij vocantur, quibus meridiana vmbra nunc ad Septentriones nunc ad Austrum procedit; quod fit in zona torrida. Sole enim meante per Cancri sidus vmbras illic Austrinas siue sinistras habent: bruma, dexteras vel Arctoas. Periscij sunt, quos Signiferi axis circuitu suo comprehendit: ita dicti quòd illorum vmbræ molarum modo circumagantur. Heteroscij verò nuncupantur, qui alteram solùm vmbram habent, Arctoam, vel Austrinam: quales eos, & Antichthones nostri. Ergo ἀμφίσκιοι in zona torrida dicuntur: περίσκιοι in frigidis: ἑτερόσκιοι in temperatis. Hęc omnia satis indicat vocum compositio. Amphiscijs solstitia quatuor. Heteroscijs duo, periscijs vnum. Qui enim sub Arctis habitant Periscij, solstitium in Cancro habent. In Capricorno autem sicuti Sole carent, ita & eius statione. Simile de Austrinis iudicium.

QVID SINT ANTOECI, PERIOECI, *Antichthones.*

EST & alia quædam distinctio in Antœcos, Perięcos, Antichtonas. Antæci sunt qui habitant in diuersis parallelis sub eodem meridiano æquo spatio distantes ab aliqua Aequatoris parte. Periæci qui sub vno parallelo & meridiano sunt in partibus oppositis. Antichthones seu Antipodes, qui Mundi diametro distant. Antœ-

cis eodem momento medius dies eſt mediaq́ue nox: verùm Auſtrinis æſtas quando Arctois bruma eſt. Periæcis tempore eodem æſtas atque hyems: ſed meridies ac medias noctes contrarias habent. Antichthonibus idem horizon & meridianus, reliqua omnia contraria. quando enim æſtatem nos habemus, Auſtrinis gentibus bruma eſt: cùm nos habemus medios dies, illis media nox eſt. Antæcis, Periæcis, Antichthonibus æqua latitudo eſt. Periæci etiam atque Antichthones partibus diſtant centum octoginta, Antæcis diſtantia varia eſt. Omnes Antæci, Periæci, Antichthones eoſdem meridianos habent, ſed finitores demptis antipodibus, diuerſos.

DE LOCORVM LATITVDINE *ac longitudine.*

EODEM pertinent latitudo longitudoq́ue. His enim & vrbes & montes & flumina diſcernimus. Latitudinem loci ab Aequatore, vel axis ab horizonte diſtantiam nominamus. Atque inuenitur latitudo loci cuiuſuis hac ratione: Si altitudo Solis meridiana tempore æquinoctij ſubducatur à partibus nonaginta, relinquitur latitudo. Si Sol ad Aquilonem declinauerit, ab altitudine meridiana ſubtrahi debet eius declinatio, idq́ue quod remanſerit, auferri à nonaginta partibus. Verùm ſi in ſignis Auſtrinis fuerit, altitudini adijci declinatio debet,

bet, numerusque collectus à circuli quadrante subtrahi.

QVOMODO EX ARCV DIVRNO stellarum, vrbium latitudo reperiatur.

STELLAE arcum diurnum vocant tempus, quo ipsa supra horizonta fertur, vel Aequatoris partem quæ oritur dum sidus ab Oriente in Occidentem decurrit: ex quo vrbis latitudinem hac ratione inuenias: Obserua quot horæ, siue Aequatoris partes prætereant cum stella inter Ortum & Occasum. inde accipe sphæram, atque in illius finitore seu alueo axem aut attolle aut deprime, donec eandem stellæ in horizonte moram deprehenderis. Tum facilè videas sic posita sphæra, quot meridiani partibus polus à finiente, vel vrbs ab Aequatore absistat, nam distantia ea latitudo est.

DE PARALLELIS.

TRIPLICES hîc paralleli notantur. alij enim latitudines definiunt, qui denis plerunque gradibus distant: alij dierum indicant longitudinem. Alij & zonas quinque, & metas Solis, & anni quatuor mutationes continent, qui sunt Aequator, Tropici duo, ac totidem Arctici circuli.

QVID LONGITVDO, ET BIFARIAM ACCIPI NOMEN OCCIDENTIS.

LONGITVDO distantia vrbis ab Occidente est. Id breuius quidem dictum, sed ad hunc modum intelligi debet: distantiam esse meridiani loci alicuius à meridiano insularum Fortunatarum. Duplex est Occidens: alter totius Terræ, quem in insulis Fortunatis collocauerunt. quod vbi Solis sidus eò peruenerit, non amplius sub se terras, sed aquas habeat: alter singularum vrbium, quem vocamus partem finitoris, vbi Mundi pars aliqua occidit. Idem iudicium de Oriente.

QVID SIT APVD SCRIPTORES vrbem distare tribus aut quatuor horis ab Occasu.

INTER Ortum & Occasum, hoc est, stationem Sinarum & Fortunatas insulas singulæ horæ quindecim partes continent. tot enim gradus eo tempore meridianum circulum prætereunt. Sic Ptolemæus Chaoniam ab Occidente horarum trium spacio, siue gradibus quadraginta quinque abesse ait. Inter Austrum verò & Septentriones horæ vocabulo diei longissimi notatur incrementum, quod circa Aequatorem gradus plures quàm alibi comprehendit. Proinde distare vrbem duabus horis ab æquinoctio, Aequatore, vel medio Mundi, est eam habere longissimum diem horarum quatuordecim: tribus, quindecim: sex octodecim: septem vndeuiginti.

ginti. Quibus verbis vti licebit in describenda latitudine & situ locorum, hoc modo: Duabus horis ab Occasu, tribus ab æquinoctio, id est, in ea vrbe esse scriptum librum vel epistolam, quę ab Occidente abest partibus tricenis, & tribus horis ab Aequatore, vel vbi dies solstitio quindecim horas continet.

DE TRIPLICI ORIENTE *atque Occidente.*

ANTEQVAM ventorum rationem aggrediamur, dicendum quid exortus solstitialis, vernus, brumalis, quid itidem occasus æstiuus, æquinoctialis, hybernus. Citra Aequatorem finientis circulus plagis quatuor distinguitur, Aquilone, Meridie, Ortu & Occasu. Gentibus Austrinis, siue Antæcis meridie Sol Aquilonem spectat, nobis polum alterum: nobis leua manus ad Ortum vergit, illis ad Occasum. Porrò quia non indidem æstate, vere, ac bruma Sol exoritur, Orientem triplicem ponere possumus: solstitialem, vel æstiuum finitoris partem eam, vbi solstitio Sol exurgit. Vernum siue æquinoctialem, in qua oritur alterutro æquinoctio: & brumalem seu hybernum, qua bruma, aut die breuissimo oritur. simili forma de Occasu loquendum: nam æstiuus vel solstitialis dicitur ὁριζοντος sectio, vbi occidi Sol in Cancri signo. Vernus aut æquinoctialis, qua Veris initio descendit. Brumalis aut hybernus, vbi bruma occidit.

BIFA-

BIFARIAM INVENIRI QVAtuor plagas Mundi.

QVATVOR Mundi plagas deprehendunt gnomone in circuli centro erecto ad angulos æquales. Quotidie enim tum ante meridiem, tum à meridie sese vmbra vel contrahit vel extendit ad circuitum circuli. Inter quos contactus medius punctus Septentrionem indicat. Idem quoque Cœlo nubiloso ex arborum contactu in sylua cognoscunt. Quoniam cortices spectantes Aquilonem duriores sunt plerunque, atque rimas altiores agunt. Ob id Columella arbores priusquam transferantur, rubrica notandas præcipit, vt easdem Cœli partes aspiciant: ne aut insolitus calor pristinum dissoluat rigorem; aut mollitiem Austrinam Septentrionis horror lædat.

DE VENTIS COMMVNIBVS.

DVO ventorum genera: communes, & repentini. Communes nuncupamus qui ex certis spirant Mundi plagis. hi in formas quatuor diducuntur: Arctoas, Austrinas, Eoas, Occiduas. Arctoi tres sunt, quorum primus à parte circuli Arctici spirat, quæ prospicit Occidentem, Thrascias dictus: secundus Septentrio vel Aparctias à vertice: tertius Aquilo, vel Boreas à dextro latere circuli eiusdem. Eoi totidem, à solstitiali ortu Cæcias: à verno Subsolanus vel Apeliotes: Eurus aut Vulturnus à brumali. Austrini Phœnicias vel Euronotus: Auster

ster vel Notus: & Libonotus. Occidui tres quoque: Lips vel Africus ab Occasu hyberno: ab æquinoctiali Zephyrus, aut Fauonius: ab æstiuo Corus vel Aegestes. Homerus quatuor duntaxat enumerat:

Σὺν δ' εὖρός τ' ἔπεσε, ζέφυρός τε, νότος τε δυσαής,
Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Communibus ventis addi possunt Prodromi atque Etesiæ, quos etiam temporibus certis flare constat. Prodromi sunt Aquilones, qui Caniculares dies præcedunt. Etesię Aquilones dicuntur, qui Caniculæ ortu ad dierum quadraginta intercapedinem spirant. Ab annuo flatu inditum nomen. Etesię noctu sepiuntur, vtpote cùm sidus sub terra sit.

NOMINVM ORIGO.

SEPTENTRIO nuncupatus est, quòd spiret à Septentrionibus. Aparctias, quòd ab Arctis aut vrsis. Aquilo à sublimi volatu Aquilæ, quòd ex alto spiret. Boreas ἀπὸ τῆς βοῆς, hoc est, sonitu quem edit. Subsolanus quòd sub Sole spiret. Apeliotes, quòd à Sole. Vulturnus à vulturis volatu, quoniam altè resonat. Auster quasi hauster, ab hauriendis aquis, vel humida natura venti: ob eandem causam à Græcis Notus dictus est. Lips, quòd ex Libya veniat. Africus, quòd ex Africa. Apud veteres enim regio eadem & Libya & Africa vocabatur.

NATVRA VENTORVM.

CAECIAS ad ſe nubes trahit. vnde Græcis prouerbium: κακὰ ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων, ὡς καικίας νέφος, mala ad ſe trahens, vt Cæcias nubem. Zephyrus tempore verno ſpirat, ideo Virg. Vere nono gelidus canis cum montibus humor Liquitur & Zephyro putris ſe gleba reſoluit, Depreſſo incipiat iam tunc mihi taurus aratro Ingemere. Huius flatu armenta quibuſdam in locis concipiunt fœtum, atque inde Zephyrus, hoc eſt, ζωὴν φέρων appellatus. Virg. Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis Exceptantque leues auras, & ſæpe ſine vllis Coniugijs vento grauidæ. Venti à Septentrione flantes frigidores & ſicciores ſunt, eò quòd veniant per montes, niues, & terras ſeu zonas frigidas, Sunt inde ſicci, quòd per terras & Maria congelata ſpirent. Occidui Eois humidiores, quoniam in aduentu hi plus terræ habent, illi plus aquarum. Auſtrini à Sole veniunt, & Maria multa permeant, ideo & calidi & humidi.

DE VENTIS REPENTINIS.

REPENTINOS vocamus, qui neque è certa plaga aliqua, neque ſtatis anni temporibus ſpirant, quique impetu ſuo euertunt turres, & nauigia frangunt. Sic appellati ſunt, quòd repentè oriantur & repentè deſinant. Horum quatuor genera: Procella, vel ecnephias, quan-

quando halitus erumpens latè diſpergit nubem. Vortex, vel Typhon, cùm arctiori erumpit ſpatio, & impetu magno voluitur in circulum. vnde in agris crebro videmus arenas in orbem volitantes. Turbo nuncupatur, quando halitus erumpens nubem latè ſpargit, vt procella, ſed minus altè. dictus à turbando quòd proxima quæque perturbet. Præſter (vel Preſter correctius) πρηστὴρ, cùm idem flatus per aêra fertur ardens & accenſus, ἀπὸ τοῦ πρήθειν ſiue ardendo cognominatus.

SEQVITVR IAM BREVIS DECLARAtio menſurarum Geometricarum, Coſmographiæ ſtudioſis apprime vtilis ac neceſſaria.

VNvs gradus Aequatoris comprehendit miliaria Germanica quindecim. Vna minuta facit quartam partem miliarij Germanici. Quatuor igitur minutæ conſtituunt miliare Germanicum. In omnibus igitur ac ſingulis Geographorum libris attendas oportet quibus de miliaribus loquatur autor. Germani vt plurimum de communibus Germaniæ miliaribus agunt, quæ multiplicata per quaternarium, conſtituunt miliaria Italica. quamuis interdum quinque miliaria Italica yni miliario Germanico reſpondeant: tunc multiplicatio facienda eſt per quinarium. Duo miliaria Gallica faciunt miliare Germanicum. Hiſpanica autem miliaria reſpondent Germanicis.

DE STADIIS.

VNVs gradus Aequatoris complectitur quadraginta & octoginta stadia. Vna minuta habet stadia octo, quæ faciunt miliare Italicum quartam videlicet partem miliarij Germanici. Duæ minutæ Aequatoris siue sedecim stadia constituunt miliare Gallicum, & spondent dimidio miliari Germanico. Tres minutæ faciunt viginti quatuor stadia, tres nimirum quartas miliarij Germanici. Quatuor minutæ conficiunt triginta duo stadia; miliare videlicet Germanicum.

NVNC EXEMPLA ALIQVOT *videamus.*

EMAVS spatio sexaginta stadiorum abfuit à Ierosolymorum vrbe, quæ propemodum æquipollent duobus miliaribus Germanicis. Luc. 24. Sic Ioannes vndecimo capite à Bethania ad Ierosolymam numerat stadia quindecim, quæ respondent fermè dimidio miliari Germanico. Iosephus docet montem Oliuarum abfuisse quinque stadijs à Ierosolymorum vrbe; quæ adæquant fermè sextam partem miliaris Germanici. Idem Iosephus ambitum vrbis Ierosolymæ metitur stadijs triginta tribus; quæ æquipollent propemodum miliari Germanico. Triginta duo enim stadia constituunt miliare Germanicum. quidam scribunt de quatuor miliaribus, sed hoc intelligendum est de miliaribus Italicis. Strabo circumferentiam Babylonis meti-

metitur ſtadijs trecentis & octoginta, quæ conſtituunt duodecim miliaria Germanica. Samariæ ambitus fuit ſtadiorum viginti, quæ conficiunt duas quartas miliarij cum dimidia.

ROMANI MILIARIA PASSIBVS metiebantur hoc modo.

DIGITVS habet quatuor grana hordei per latera contiguè diſpoſita. Palmus habet quatuor digitos. Quatuor palmi faciunt pedem, cuius certa menſura & hodie extat. Quinque pedes conſtituebant paſſum Geometricum. Centum & viginti quinque paſſus æquipollebant ſtadio. Octo autem ſtadia ſiue paſſus mille faciebant miliare Italicum. Et duo miliaria Italica dederunt Leucam, miliare videlicet Gallicum. Huc pertinent verſus quos lib.1. habes: Ex granis quatuor, &c.

SVBIICIEMVS AVTEM ET ALIAM tabulam menſurarum Geometricarum ex Petro Apiano, & Gualthero H. Riuio.

DIGITVS, ein zwergfinger / oder kleiner zol / habet quatuor grana hordei, per latera contiguè diſpoſita.

Pollex eines Daumens breyt / vncia autem, der groſſer zol / habet digitos tres.

Palmus minor, ein Handt breyt / faciebat digitos quatuor.

Dichas conſtituit duos palmos, ein halben Schuh.

Spithama, palmus maior, paulò minor pede, digitos habet duodecim. ein Span.

Pes, ein Schuh/habet quatuor palmos minores, digitos nimirum ſedecim.

Seſquipes æquipollebat ſex palmis minoribus anderthalben Schuh.

Cubitus quoque ſex palmis minoribus conſtabat, ein Elle/congruit cum ſeſquipede.

Gradus habet duos pedes. ein Tritt/tres autem pedes conſtituunt duos cubitos, zwo Ellen

Paſſus ſimplex facit duos pedes cum dimidio, ein gemeyner Schritt.

Paſſus maior Geometricus quo vtitur Coſmometria, habet quinque pedes, ein groſſer Schritt/ huius generaliter in autoribus fit mentio. Stadium, ein Roſſzlauff oder Feldweges/æquipollebat centum & viginti quinque pedibus.

Octo ſtadia, ſiue mille paſſus Geometrici conficiunt miliare Italicum.

Duo millia paſſuum, quæ reſpondent ſedecim ſtadijs, nominantur Leuca, miliare Gallicum. Quatuor millia paſſuum, vier tauſent groſſer Schritt/ reſpondent triginta duobus ſtadijs, & conſtituunt miliare Germanicum, ein Teutſche Meyl. Quinque millia paſſuum, ſiue ſtadia quadraginta, conficiunt miliare Germanicum magnum, ein Schweitzer oder Schwabiſche Meil.

Sanctus præterea Hieronymus in libello de locis Hebraicis ſcribit de miliaribus Italicis, quæ & lapides ab illo vocantur. numerarunt enim Romani miliaria Italica per erectos lapides:

des: & (vt supra dictum est) quatuor, interdum etiam quinque miliaria Italica constituebant vnum miliare Germanicum. Dicitur autem miliare & miliarium. Harum mensurarum si quis ocularem instructionem desiderat, consulat Europam Vopelianam, tabulam videlicet totius Europæ ac confinium terrarum descriptionem continentem, in qua veluti digitis demonstrantur ea quæ hîc auribus percepisti.

DE TEMPORE, ET EIVS *accidentibus.*

HACTENVS de mensuris rerum ac locorum: iam & de Temporis mensura ac partibus pauca audiamus. Tempus propriè Mundi motusque interuallum, seu duratio nuncupatur. quoniam ante hos tempus nullum fuit, nec post eosdem futurum est. Nonnulli certam dimensionem vocant, quæ ex Cœli conuersione colligitur: vel ex Cœli Solisque vertigine diductum spatium, quo rerum omnium agitationem vicissitudinemque metimur. Alij id imaginem æternitatis appellant. Huic affinis occasio, flos ipse temporis rebus agendis conferens. Differunt Tempus, Aeuum & Aeternitas. Tempus principium ac finem habet: vnde historici temporis initio Cœlum ac Terram condita esse memoriæ mandarunt. Aeuum, solum principium. Idcirco Iouem & Iunonem æuiternos ac æuintegros deos vocitabant; quòd geniti quidem essent, sed finem nunquam habituri.

Aeternitas & principio & fine caret. Temporis partes,quibus omnes penè nationes vtuntur, quatuor ſunt: Annus, Menſis, Dies, Hora. Biennium,triennium,luſtrum,ſeculum,ad annorum rationem:ad dierum ſeptimana ſpectat.

DE ANNO MAGNO.

ANNVS à pleriſque in formas tres diuiditur: magnum, ſolſtitialem, & à reditu Lunæ Lunarem. Verùm quoniam poſtremus aliud nihil quàm menſis eſt, duo ſolùm annorum genera ponere poſſumus,magnum videlicet & vertentem. Vterque hîc explicabitur, & in partes ac genera alia diſtinguetur. Magnum annum ſpacium vocamus quo ſidera omnia ad eundem redeunt locum. hic quadraginta nouem vertentium annorum millibus conſtat: de quo iſtiuſmodi verſus in volumine quodam leguntur: An nouus Mundi rediijt Platonis Annus: & quicquid fuerat peractis Omnibus Cœli ſpacijs refertur Ad rude corpus. Eius partes ſiue mutationes duæ ſunt: Aeſtas, cùm incendio vel igne Mundi ſtructura conflagrabit. Sunt qui ideo rerum mutationem hanc exiſtere, atque omnia vel flammis vel aqua interire arbitrantur, vt alumnus terræ & innocens & nouus contingat: licet innocentiam eam ſpatio perbreui conſuetudo inuertat. citò enim ſurrepunt vitia, & ſcelera ſine præceptore diſcuntur. Bruma, quando diluuium, quem Græci κατακλυσμὸν appellant,orbem infeſtat. Quod natura euenire aiunt

exlon-

ex longa temporis huius intercapedine. Nam quemadmodum vulgares, siue vertentes anni hyemes ac æstates paruas habent: ita magnus ille annus ingentes. Igitur alterna vicissitudine Mundum tum ignescere, tum aquarum redundantia obrui ratio docet. Huc Ciceronis sententia spectare videtur, vbi ignium genera enumerat: additur & stellarum natura flammea, ideoque futurum existimant, vt quoniam humido vapore astra, vt pabulo foueantur, absumtis magis magisque humoribus, & augescente siccitate, Mundus olim sit igne periturus.

DE ANNO VERTENTE.

VERTENS annus, tempus est dierum tercentum & sexaginta quinque cum quarta diei parte, vel spatium quo Sol Signiferum ambit. Arcades & Chaldæi internallum esse trium mensium voluerunt. Quale spatium est ab æquinoctijs ad brumam vel solstitium. Romulus verò intercapedinem vocabat ab hominis conceptione ad diem natalem. Ouidius I. Fastor:

Tempora digereret cùm conditor vrbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Scilicet arma magis, quàm sydera Romule noras,
Curaq; finitimos vincere maior erat.
Est tamen & ratio Cæsar quæ mouerat illum,
Erroremq; suum quo tueatur habet.
Quod satis est vtero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Idem alio loco:

Annus erat decimus: cùm Luna receperat orbem
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,
Seu quia bis quino fœmina mense parit,
Seu quòd ad vsq, decem numero crescente, venitur:
Principium spatijs sumitur inde nouis.

Annus hic à Martio initium habebat, constabatque diebus trecentis & quatuor. Vt sex quidem menses Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December tricenum essent dierum: quatuor verò reliqui, Martius, Maius, Quintilis, October tricenis & singulis perficerentur. Sed secutus mox Numa Pompilius quinquaginta dies addidit: vt in dies trecentos quinquaginta quatuor annus extenderetur. Atque diebus ijs quinquaginta à se additis, alios sex adiecit, ablatos à sex mensibus qui triginta dies habebant. factosque dies sex & quinquaginta, in menses duos ratione pari diuisit: & alterum Ianuarium nuncupauit, primumque esse voluit, tanquam bicipitis Dei mensem respicientem ac prospicientem transacti anni finem, & principium futuri: alterum Februo Deo dicauit, quem præesse lustrationibus ferunt. Post alias verò immutationes complures, Iulius Cæsar temporum inconstantiam hanc in ordinem coëgit, attribuitque singulis annis dies trecentos sexaginta quinque, atque diei vnius quadrantem. Ouidius tertiò Fastorum:

Ire moras Solis quibus in sua signa rediret,
Traditur exactis disposuisse notis.
In decies senis ter centum & quinque diebus
Iunxit & è pleno tempora quinta die.

Ex his bissextus fit, quasi bis dies sextus. Etenim annis quaternis bis circa Februarij finem sexto Calendas Martias scribere consueuerunt. Initium anni sumunt Romani à bruma: Athenienses à solstitio: à Veris æquinoctio Arabes & Damasceni: ab Autumni Asia. Partes anni quatuor: Ver, Autumnus, Aestas, Hyems. Veris tempore Sol in Ariete, Tauro, & Geminis est: autumno in Libra, Scorpione, Sagittario: æstate in Cancro, Leone, Virgine: hyeme in Capricorno Aquario, Piscibus. quoniam singulæ partes anni quadrantem, aut menses ternos aut quod idem est signa tria continent. Mutationes verò dies singuli duntaxat, siue potius momenta sunt. Hoc mutationes à partibus distant. Has Boëtius flatu ventorum, stellarumque ortu exprimit his verbis: Tua vis varium temperat annum, vt quas Boreæ spiritus aufert Reuehat mitis Zephyrus frondes. Quæque Arcturus semina vidit, Sirius altas vrat segetes. Duæ sunt causæ quamobre hyeme Solis calor remissior quàm æstate sit: altera quod ocyus ille tum occidat, neque possit aër ob temporis angustiam calescere: altera, quòd radij obliquè in Terram conijciantur & minor sit reflexio. Quatuor itidem anni mutationes sunt: æquinoctium Vernum, æquinoctium autumni, solstitium, bruma: quando

Sol ingreditur principium Arietis, Libræ, Cancri, Capricorni. Cæterum Plinius & Græci nonnulli in signorum eorundem partibus octauis hæc annorum momenta quatuor esse voluerunt. Temporibus his Arietis initium Sol attingit die decimo Martij. Verùm Ouidij seculo, sicut ex Fastis apparet, 15. Cal. April. Non tamen eodem die æquinoctium esse dicebant, sed 8. seu 7. Cal. April. Putabant enim æquinoctium esse non in prima sed octaua signi parte: & 15. Cal. April. Solem Arietem lustrare. postea verò vbi ad gradum octauum sidus peruenisset, dies noctesque pares esse. Vitruuius de Architectura lib. 9. Sol cùm Arietis signum init, & partem octauam peruagatur, perficit æquinoctium Vernum. Ex hac annorum in partes quatuor, & mutationes totidem diductione, manifestum est aliud æstatem & hyemem, aliud solstitium ac brumam esse.

IN QVAS PARTES ANNVM rei rusticæ scriptores diuidant.

VETERIBVS ijs maximè qui de agricultura scripsêre, alia spatium idem diuidendi ratio fuit, vt ex Marci Varronis de re Rustica libris colligimus: fortasse quòd distinctio huiuscemodi illis ad rem eam fuerit commodior. Etenim cap. 28. annum vniuersum in partes octo diuidit; earumque initia in Cœli signis alijs quàm supra memorauimus, collocat.

Eius

Eius verba hæc: Dies primus Veris eſt in Aquario: æſtatis in Tauro: autumni in Leone; hyems in Scorpione. Quum vniuſcuiuſque horum quatuor ſignorum dies tertius & viceſimus, quatuor temporum ſit primus, efficitur vt Ver dies habeat vnum & nonaginta: æſtas nonaginta quatuor: autumnus nonaginta duos: hyems octoginta octo. Qua diuiſione redacta ad dies ciuiles noſtros, qui nunc ſunt primi Verni temporis, extant ad 7. Id. Februarij: æſtiui ad 7. Id. Maij: autumnales ad 3. Id. ſextilis: hyberni ad 3. Id. Nouembris. Idem: A Fauonio ad æquinoctium Vernum dies quadraginta duo. Hinc ad Vergiliarum exortum dies quadraginta quatuor. Ab hoc ad ſolſtitium dies quadraginta nouem. inde ad Caniculæ ſignum dies viginti nouem. deinde ad æquinoctium autumnale dies ſexaginta ſeptem. Exinde ad Vergiliarum occaſum dies triginta duo. ab hoc ad brumam dies quinquaginta ſeptem. inde ad Fauonium dies quadraginta quinque. hactenus Varro. Hoc loco Veris initium in Aquario poſuit: æſtatis in Tauro: autumni in Leone: hyems in Scorpione: cùm eadem hæc nos in primis Arietis, Cancri, Libræ, ac Capricorni eſſe partibus dicamus. Cæterum eam rerum ruſticarum præceptionibus accommodauit, annumque rectius quàm nos videtur diuiſiſſe. nos enim ſolſtitium æſtatis initium vocamus, & brumam hyemis principium, cùm vtrumque vtriuſque medium ſit. Adde quod vulgari ſermone annum totum in partes duas, æſtatem & hyemem

ſæpenumerò ſecamus: quę partitio quoque multum ab Aſtronomica ſectione diſcrepat.

DE ANNIS CLIMACTERICIS.

EX vertentibus colliguntur anni ſcanſiles, ſiue κλιμακτηρικοὶ, ita dicti, quòd è ſeptenarijs numeris aut nouenarijs gradatim ſint collecti. De quibus verba hæc in libro quodam leguntur: Mortuus eſt annum agens circiter quartum & quinquageſimum: quem quia è ſexto nouenario conficitur ſcanſilem vocant annum, mala generi mortalium minitantem. Climactericorum annorum genera duo ſunt; Ἑβδομαστικοὶ qui numeris ſeptenarijs conficiuntur: cuiuſmodi à natali die annus ſeptimus, decimus quartus, vigeſimus primus. Ἐννεαστικοὶ quos nouenarij componunt numeri: qualis eſt nonus, decimuſoctauus, vigeſimuſſeptimus. Annis hebdomaticis, enneaticiſque immunere nobis aut morbos aut pericula opinantur. Tempora ipſa κλιμακτῆρας vocant, & annos inde climactericos. Inter omnes pernicioſiſsimus eſt ſexageſimus tertius quoniam ex vtroq; numero conſtat. De quo D. Auguſti ad C. nepotem ſuum epiſtola apud Gellium: Aue mi Cai meus ocellus iucundiſsimus, quem ſemper medius fidius deſiderio quum à me abes. ſed præcipuè diebus talibus qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium: quem vbicunque hoc die fuiſti, ſpero lætum & beneualentem celebraſſe quartum & ſexageſimum nata-

lem

lem meum: nam vt vides χλιμακλήρα communem seniorum omnium tertium & sexagesimum annum euasimus.

DE MENSIVM RATIONE.

MENSIS duplex est, naturalis & ciuilis. Naturalem in mensem Solis, & mensem Lunæ diuidunt. Prior tempus est quo Sol duodecimam Cœli partem lustrat: posterior, spatium inter duos Solis Lunæque coitus, vel quo Luna tredecim ferè signa percurrit. Ciuilis mensis est numerus quidam dierum, quem vnaquæque ciuitas consueuit obseruare. vt Martius, qui apud Romanos diebus vno & triginta constat, apud Albanos triginta sex. Menses ciuiles duodecim sunt: Ianuarius appellatus sic à Iano, quem bifrontem depingunt, voluit namque Numa Pompilius primum anni mensem Dei bicipitis similitudinem habere, simulque prospicere & anni sequentis initium, & transacti finem. Dies huius quintus atque vigesimus, si serenus fuerit, frugum portendi aiunt fertilitatem. Si nix cadat vel pluuia, caritatem rerum. si existant nebulæ, animalium multorum interitum: sin venti, arma.

Februarius nomen à verbo prisco Februo, quod est lustro vel purgo, accepit. per duodecim enim Februarij dies perpetuos populus omnis intentus erat sacrificijs, & cæreis, & facibus circa sepulchra accensis, pro impetranda mortuorum animabus quiete. Quæcunque purgamenti causa in sacrificijs adhibebantur, Februa nomi-

nari

nari solebant. Plinius: vulgata priscis temporibus opinio obtinuit, februa esse omnia, quibus delerentur peccata, aut manes animabus defunctorum placidi redderentur.

Martius, quem Romulus primum esse voluit, dicauitque genitori suo Marti, & ab eo Martium appellauit.

Aprilis secundus mensis quasi aphrilis vocitatus est, à spuma quam Græci ἀφρὸν vocant, vnde orta Venus putabatur. Vt quemadmodum primus mensis à patre Romuli Marte, ita secundus ab Aeneæ matre vnde Romulus originem duxit, Veneris nomen vsurparet. & ij menses annum auspicarentur, à quibus Romani nominis origo processisset. alij tamen ab aperiendo malunt deduci, quòd terram hactenus per frigora clausam, floribus ac graminibus aperiat.

Maius à maioribus dictus est, quibus consecratus erat, quòd consilio & authoritate Remp. administrarent. alij à Maia Mercurij matre nuncupatum asserunt, quòd tum Pleiades prodeant.

Iunius à iunioribus, qui rem armis gerebant. postquam enim Romulus populum Romanum in maiores minoresque diuisit, vt pars altera consilio, altera armis Remp. tueretur, in honorem partis vtriusque, superiorem Maium, hunc Iunium nuncupauit. alij à Iunone dictum credunt.

Iulius ante Quintilis appellatus, quòd à primo mense Martio quintus esset. sed postea in honorem Iulij Cæsaris dictatoris M. Antonio Mar-

ci fi-

ci filio consule legem ferente, Iulius nominatus est: quòd hoc mense ad 4. Id. Quint. Iulius procreatus fuisset.

Augustus antea Sextilis dictus, donec honori Augusti ex senatusconsulto consecratus est. cuius hæc verba fuerunt: Quum Imperator Cæsar Augustus mense Sextili & primum consulatum inierit, & triumphos tres in vrbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ, secutæque sint eius auspicia ac fidem, & Aegyptus in potestatem populi Romani redacta est, finisque bellis ciuilibus impositus sit. atque ob has causas mensis iste Imperio felicissimus sit ac fuerit, placere Senatui, vt hic mensis Augustus appelletur.

September, October, Nouember, December, ob sequentium principum tyrannidem nomina prisca seruauerunt. September, quòd à Martio septimus sit, dicitur. October, quia octauus. Nouember, quòd nonus. December, quoniam decimus. Mensium quatuor, qui Februarium sequuntur; alij rationes (vt ante monuimus) alias tradidere. Martium à Marte quidem appellatum esse, non quòd Romuli pater fuerit, sed quia gens Latina armis ac bello semper claruerit. Aprilem ab aperiendo, quòd terræ meatus tunc aperiantur. Maium à Maia, quoniam eo mense tam Romæ quàm antea in Latio, res diuina Maiæ & Mercurio facta fuerit. Iunium à Iunone, quòd tempore illo Iunoni honores maximi habebantur. Ianuarius Iunoni sacer erat, Februarius Neptuno, Martius Mineruæ, Aprilis Veneri, Maius Apol-

Apollini, Iunius Mercurio, Iulius Ioui, Auguſtus Cereri, September Vulcano, October Marti, Nouember Dianæ, December Veſtæ. Quot menſium quiuis diebus conſtet, vulgati iſti verſiculi docent: Triginta Aprilis, Iunius, Septemque, Nouemque: Vno plus reliqui, viginti Februus octo. Attici menſes ad Lunæ curſum computantur, ideoque noſtris menſibus non reſpondent; ſed partem Iunij primus menſis occupat. & primus eſt qui ſolſtitio æſtiuo proximus eſt. Sunt autem hi: ἑκατομβαιὼν, ab hecatombis Iouis. Μεταγειτνιὼν, à Metagitnijs Apollinis ſacris. Βοηδρομιὼν à Boëdromijs ſacris, de quibus Plutarchus in Theſeo. Μαιμακτηριὼν à Mæmacta Iouis appellatione. Πυανεψιὼν à pyanis fabis in Apollinis ſacris. Ανθεστηριὼν, quòd cãpi floribus priuati ſint. Ποσειδεὼν, à Neptuni & Palladis certamine. Γαμηλιὼν, à Iunone quæ nuptijs præeſt. Ελαφηβολιὼν, à venatione. Μουνυχιὼν à Munychijs Dianæ ſacris, de quibus Plutarchus in Theſeo. θαργηλιὼν, quòd terra caleſcat; θαργήλια quoque Apollinis ſacra ſunt. Σκιῤῥοφοριὼν, à Sciris vmbraculis. Εκατομβαιὼν igitur opponi poteſt Iunio: μεταγειτνιὼν Iulio: βοηδρομιὼν Auguſto: μαιμακτηριὼν Septembri: πυανεψιὼν Octobri: ἀνθεστηριὼν Nouembri: ποσειδεὼν Decembri: γαμηλιὼν Ianuario: ἐλαφηβολιὼν Februario: μουνυχιὼν Martio: θαργηλιὼν Aprili: σκιῤῥοφοριὼν Maio.

Maio. Ariſtoteles de piſcibus ait: Ἴδες πλεῖςυς τίκτειν ἐν τρισὶ μησὶ, μȣνυχιῶνι, θαργηλιῶνι, σκιῤῥοφοριῶνι, quod Plinius tranſtulit, Aprili, Maio Iunio.

QVID SINT CALENDAE, NONAE, IDVS.

MENSIS cuiuſque portiones, ſeu dierum formę tres: Calendæ, Nonę, Idus. Calendæ dicuntur ἀπὸ τȣ̃ καλεῖν, quòd his diebus calentur, ſiue recitentur eius menſis Nonæ à Pontificibus. Pontifex enim calata vel vocata in capitolium plebe, quot dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent, pronunciabat. Mos hic erat antequam Faſti à Cn. Flauio inuitis patribus, in omnium notitiam prodierant. Nonæ, quia ab his ad Idus ſemper nouem ſint. Idus quòd Nonas à Calendis diuidant. Iduare Hetruſcum vocabulum diuidere eſt. Theodorus Gaza alias vocum rationes è Plutarcho reddit in libello περὶ μηνῶν. De Calendis, Idibus, Nonis Ouidius primo Faſtorum:

Vendicat Auſonias Iunonis cura Calendas,
Idibus alba Ioui grandior agna cadit;
Nonarum tutela Deo caret, omnibus iſtis
Ne fallare caue, proximus ater erit.

QVID DIES CIVILIS AC NATVRALIS.

RECENTIORES diem in naturalem, ac artificialem diuidunt: vt prior tempus horarum 24. ſit: alter ſpatium ab ortu Solis vſque ad Occaſum. Veteres autem ratione cõmutata in ciuilem ac naturalem. Ciuilis dies inter-

interuallum eſt quo Mundus circumagitur, vel horarum viginti quatuor. cuius initium Aſtronomi à meridie ſumunt: Græci à Solis exortu, Romani à media nocte, Iudæi ab occaſu. idcirco etiam Veneris die & typicum paſcha & verum celebraſſe Chriſtum dicimus. Et quoniam lex erat id fieri horis nocturnis debere, bis lucem dies ille, & toties tenebras habuit. Gellius: Quęri ſolitum eſt, qui noctis hora tertia, quartave, ſiue qua alia nati ſunt, vter dies natalis haberi appellariq; debeat, iſne quē nox ea cōſecuta eſt, an qui dies noctē cōſecutus eſt. M. Varro in librū rerum humanarum, quem de diebus ſcripſit, Homines (inquit) quia media nocte ad proximam mediam noctem in his horis 24. nati ſunt, vna die nati dicuntur. Quibus verbis ita videtur dierum obſeruationem diuiſiſſe, vt qui poſt Solis occaſum ante mediam noctem natus ſit, is ei dies natalis ſit, à quo die ea nox cœperit. Contra verò qui in ſex horis poſterioribus naſcatur, eo die videri natum, qui poſt eam noctem diluxerit. Athenienſes autem aliter obſeruare idem Varro in eodem libro ſcripſit, eoſque à Solis occaſu ad Solem iterum occidentem, omne id medium tempus vnum diem eſſe dicere. Babylonis porrò aliter: à Sole enim exorto, ad exortum eiuſdem incipientem, totum id ſpatium vnius diei nomine appellare. hactenus Gellius. Naturalis dies, ſpatium inter Solis exortum & occaſum eſt. Hic quanto ab æquinoctio longius abſceſſeris, tantò bruma breuior, & ſolſtitio longior fit.

QVAM-

abſceſſeris,tãtò bruma breuior,& ſolſtitio longior fit.

QVAMOBREM DIES AB AEQVINOctio celerius creſcant,quàm à bruma vel ante ſolſtitium.

CIRCA Aequatorem celerius creſcunt ſolis ſignórumque dnclinationes, quæ cauſa efficit vt Vere & Autumno ocyus augeſcant dierum,noctiumve ſpatia:tardius verò ſolſtitio,ac bruma.

DE PARTIBVS DIEI CIVILIS, ſeu naturaliis.

DECEM diei partes ſunt quibus paſſim vtimur.Media nox, cùm Sol in circulo meridiano eſt infra horizonta.Gallicinium ſiue Gallicantus.Horat.

Sub Galli cantum conſultor vbi oſtia pulſat.

Diluculum quaſi parua diei lux : vel Aurora, ab auri colore ſic vocitata,q; ab igne Solis,velut ab auro aêr aureſcit:aut crepuſculum matutinũ, quod tẽpus; eſt ante ortum Solis inter tenebras & lucem. Manè cùm Solis ſidus exoritur. Perſius.Iam clarum manè feneſtras intrat. Deinde antemeridianũ tempus.Poſt meridies,quaſi medius dies. Pomeridianũ tempus. Occaſus Solis: qui inter orientem & occidentem, Auſtrum & Aquilonem variatur aſſiduè: meridiei diſſimilis, quem latitudo eundem ſeruat. Veſper,aut veſpertinum tempus, ſiue crepuſculum veſpertinum,quando Heſperi ſtella videri incipit. Saluſtius:

Iuſtius: Et iam dies veſper aderat. Intempeſta nox, ſpatium eſt inter Veſperuginem & Luciferum, cum tempus agendi nullum eſt. Saluſt. Nocte intempeſta cum paucis in Manliana caſtra profectus eſt. Idem: Rurſus intempeſta nocte coniurationis principes cõuocat. Idem tempus concubiũ vocant, quòd ferè omnes tum cubent. Et nomine alio conticinium, quoniam omnia tunc ſilent.

DE NOCTIVM QVATVOR vigilijs.

AD dierum ordinem noctis deſcriptio pertinet, quæ nihil aliud niſi terræ vmbra eſt: eoque aliquando pro vmbra terræ accipitur. Lucan: - nec terra celſior vlla Nox cadit in Cœlum, Lunæq; meatibus obſtat. Quoniam militibus longum errat per noctem totam excubias agere, in vigilias eam quatuor diuiſerunt: quarum prima à noctis principio, vſque ad initium quartæ horæ inæqualis producitur. Plinius ſecundi libri 70. capite: Canopus in Arabia Nouembri menſe prima vigilia occultus: ſecũda ſe oſtendit. Hoc tempus a[illegible]rimam facem appellant, quę eſt noctis ſiue tenebrarum initium, ſic nuncupatum, quod tum primùm vti face incipiant. Gellius: Sed cum iam prima fax noctis, & denſiores eſſe tenebræ cæpiſſent, diſceſſimus. Verùm inter voces iſtas id diſcriminis eſſe apparet, quòd prima fax tum ſpatio breuiore con-

re conſtet, tum primæ vigiliæ pars ſit ac exordium. Tamen ſæpenumerò idem vtriuſque vocabuli vſus eſt. Dicimus enim ſtellas circa vigiliã primam, ſiue primam facem prodire atque occultari. Secunda vigilia à fine tertiæ horæ ad mediam noctem durat. Tertia inde ad nonæ horæ terminum. Quarta ad auroram vel ortum Solis. Cicero in epiſtolis: Quum puer tuus ad me ſecunda ferè vigilia veniſſet.

DIERVM GENERA.

DIVISIO dicta in partes fuit. Eſt & alia dierum in formas ſeu genera, quibus Romani vti ſolent, diductio. Feſti dicuntur qui ad Deorum cultum inſtituti ſunt. Huc pertinent feriarum ſpecies duæ: Repentinæ quæ non ſeruantur ſtatis anni temporibus, has princeps quandoque ob victoriam, vxorem ductam, vel cauſam ſimilem inducit: & Solennes, quæ diebus certis ſeruari conſueuerũt, aut in honorem Dei vel diui alicuius, aut in principis laudem, aut in ciuitatum honorem, aut ob publicam vtilitatem, veluti meſſis ſeu vindemiæ gratia. Feriæ aliæ ſine feſto erant, vt Nundinæ: aliæ cum feſto, quemadmodum Saturnalia. Erant prætereà propriæ familiarum feriæ, ſicut feriæ Claudiæ, ac Aemiliæ: & hominum ſingulorum, vt natalium dierum.

Profesti, qui integri totiq́ue negotijs dantur. hos Horatius solidos vocat: Nec partem solido demere de die. Fasti quando prætoribus verba omnia sine piaculo licebat fari. Nefasti, quibus prætori verba hæc. Do, Dico, Addico, fari non licebat. Ouidius in Fastis:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Comitiales, quibus comitia habebantur. Prçliares, quando fas erat hostē bello lacessere. Intercisi, qui dijs hominibusq́; cōmunes erant, id est, partim festi, partim profesti, cuiusmodi apud Europæos animarum dies. Et medici dies decretorios nominant septimum, decimumquartum, vigesimum, vigesimumseptimum: quòd illis ferè diebus morborum initia Lunæ, Sidus à signis tribus atque sex coitu excepto videat. Et Indicatiuos, quartum, vndecimum, decimumseptimū, vigesimumquartum. De quibus apud Hippocratem inuenies.

HORAE AEQVALES AC erraticæ.

HORARVM species duas fecerunt, çquales & inæquales. Priore genere vtuntur, qui à meridie siue media nocte: posteriore, qui vel à Solis ortu, vel ab occasu earum numerum auspicantur. Aequalis hora, siue Aequinoctialis vigesima quarta diei pars est, vel tempus quo Mundi semuncia exoritur. namq́ue horis singulis quindecim æquinoctialis partes meri-

meridianum, aut finientis circulum prętereunt. Hæc ergo quindecim Aequatoris partes siue quindecies sexaginta circulorum minuta complectitur, temporis verò duntaxat sexaginta. Quatuor temporis, aut horarum minutis, vnus Aequatoris gradus oritur, aut sexaginta circuli eiusdem minuta. Inæqualis aut erratica temporis pars duodecima appellatur, quod inter Solis ortum & occasum est, vel inter occasum & exortum. Horas impares eò nominant, quòd diurnæ inæquales nocturnis, & brumales æstiuis sint. Iam ad Geographiam propius accedamus.

DECLARATIO SIVE EXPLICATIO nominum quorundam appellatiuorum, in Cosmographicis enarrationibus frequentissimorum, ita vt verè totius Geographiæ subiectum dici poßint.

TOTIVS certè Geographiæ subiectum est Mundus, id est, vniuersitas aquarum, & omnis terra aquis non operta, quæ duo corpora vnam absoluunt superficiem ab hominibus habitatam. Non intelligimus autem Geographum agere de Mundo & suis partibus, quatenus corpora sunt naturalia, quod sanè ad naturalem philosophum spectat; sed potius pertractare de superficie terræ & aquæ, quatenus variè à viuentibus habitatur, & quatenus refertur ad circulos Cœlestis sphæræ: quoniam Geographus vniuersum describit Mundum, seu potius partem eius cognitam ac habitatam, decla-

namque dicimus Oceanus Indicus, Oc. Occidentalis, Oc. Virginius, Oc. Atlanticus, Aethiopicus, &c. non autem Mare Occidentale, Virginium, &c. Rectè dicimus Oceanus Germanicus, & Mare Balticum; itemque Oceanus Hispanicus, & Mare Mediterraneum: non autem, Oceanus Balticus, Hadriaticus, Mediterraneus, Euxinus, &c. Siquidem omne id Mare dici potest, in quod vel ex Oceano vel alio Mari (quod scilicet propius Oceano sit) non nisi per fretum deueniri potest. vnde etiam Mediterraneum illud, quod magnitudine ac nobilitate sua reliqua Mundi Maria antecellat, κατ' ἐξοχὴν per totam fermè interiorem Europam Mare appellatur. Hac etiam in re parum prudenter insignis ille Buchananus scripsit Psal. 136. Qui rubri Oceani torpētes diffidit vndas. nulla certè metri necessitate adactus cùm facilè ipsi dicere fuisset: Quique Maris rubri torpentes &c. huius autem discriminis rationem copiosiorem cognosces ex appendice Geographiæ nostræ Germanicæ, quæ proximis nundinis Autumnalibus Deo volente in lucem prodibit, in qua nullis foliorum numeris aut limitibus inclusi, prolixius de omnibus Mundi rebus differere licebit; cùm hîc intra Epitomes terminos contineri cogamur.

Littus est illa terræ pars quæ ab aquis tangitur, & fluctibus aquarum pulsatur.

Sinus est littus curuum ad sinus similitudinem, quod quasi brachijs partem Oceani aut cuiusuis Maris fluminisve recipit. differt

ſinus à Mari, quòd ingreſſus ſinuum amplior ſit ipſo ſinu, vt in tabulis monſtrat ſinus Aquitanicus & reliquorum figura: in Mari autem tanquã in portu amplo ac ſpatioſo lateas, ex quo in Oceanum, ſeu in quod ex Oceano aditus nullus niſi per fretum pateat, vt in Balticum peruenire ex Oceano Germanico non potes niſi per fretum Danicum ex Oceano Occidentali in Mare Mediterraneum, niſi per fretum Herculeum: ex Mediterraneo illi vniuerſali in Euxinum, non niſi per fretum Helleſpontum: ex ponto Euxino in Mæotiden, niſi per Tauricæ Cherſoneſus fretum, &c.

Fretum eſt Maris brachiũ anguſtum intér duas terras, per quod tanquam per portam ex altero pelago in alterum permeari poteſt. ſic vocatum ab vndarum fremitu, & ſignificat mare ſuapte natura mobile, vt eſt Fretum Gaditanum inter Hiſpaniam & Africam.

Portus eſt Maris, Oceani, aut cuiuſuis etiam magni fluminis, concluſus: ſeu paruum Mare vel à natura vel ab hominibus factum, tantæ profunditatis, vt quoduis altum nauigium tutò recipere poſſit; vbi ſcilicet naues & triremes hyeme ſtationem faciunt, tanquam in loco tuto.

Inſula eſt terræ pars quæ vndique aquis alluitur, vt Sicilia, Creta, Sardinia, in Mediterraneo; Iſlandia, Britannia, Hibernia, in Oceano; Zeelandia in Mari Baltico; Inſula Scythica in Danubio; Palatium in Rheno. &c. Si tamen originem vocabuli reſpiciamus (nimirum quaſi IN SALO

ſc: po-

ſc: poſita terra) propriè Inſula dicenda eſſet quę vel in Oceano vel in ſalſo Mari locata eſſet, non autem quæ in fluuijs aut dulcibus lacubus.

Peninſula vocatur quaſi penè inſula, quę non ab omni parte aquis circumdatur, ſed iugo aliquo, ſeu brachio Continenti ſiue terræ ſolidæ annectitur. Gręci autem hanc Cherſoneſum vocant. ſuntque Peninſulæ Peloponneſus quæ Achaiæ coniuncta eſt; Taurica Cherſoneſus quæ Tartariæ; Cimbrica Cherſoneſus quæ Germaniæ. &c.

Iſthmus eſt arcta terra inter duos aquarum ſinus, vt eſt Corinthiacus, quo Peloponneſus Gręciæ coniungitur.

Promontorium dicitur montanum, quod cõſpicua altitudine in Mare prominet. quamuis hodie frequenter etiam pro quouis brachio vel ramo terræ (vt ſic loquar) in Mare protenſo accipiatur.

Caput, appellatio in tabulis hodie frequentiſſima, in hoc ſaltem à promontorio differens, quod promontorium longius in Mare protendatur: Caput autem maioris cuiuſdam terræ aut angulus aut quaſi tuber ſit. omniumque hodie famoſiſſimum eſt illud Bonæ Spei caput in Auſtralibus Africæ finibus. Et notandum, quod ſem per duo ſeu Capita ſeu Promontoria ſibi propius oppoſita neceſſario fretum efficiant.

Continens ſeu Continuum dicitur omnis terra ſolida ſiue firma, quæ nec inſula, nec peninſula, nec iſthmus eſt; ſed tota ſibi conſtat & cohæret.

Regio,eſt terræ pars quæ à Rege vel Principe ſuo regitur.& omnes olim prouinciæ priuſquã in Romanorum poteſtatem peruenerant & in prouincias redactæ fuerant, à ſuis regebantur vel Regibus vel Principibus.Vtplurimùm tamẽ hodie regionis & prouinciæ vocabula confunduntur,& ſine diſcrimine accipiuntur.

Vrbs congregatio eſt plurium domorum illuſtrium ſpectabiliorumve, quæ muris cincta validis,reliqua oppida amplitudine ac magnificentia duplo triplove excedit. Oppidum dicebatur olim omnis vrbs pręter Romam,quæ ſola per excellentiã vrbs vocabatur.poſtmodo tamẽ etiam apud veterum quãplurimos intelligebantur vrbes maiora inſignioraq́ue oppida, vt Carthago,Corinthus,Athenæ, Numantia.&c. Chriſtianorum quidã hodie vrbes accipiunt eas quæ proprium habent Epiſcopum vel Archiepiſcopum,vel Patriarcham:reliqua verò oppida ipſis dicuntur.Vrbium porrò alię ipſis ſunt metropolitanæ, quæ ceu parentes alias ex ſe vrbes generant. Sunt tamen qui metropolim vrbem eam vocent,quæ primaria eſt ipſius regionis vel prouinciæ.Alię verò ſunt Colonię,quæ in hunc modum à maioribus ciuitatibus cõditæ ſunt,quãdo ſcilicet ab illis mittuntur coloni ad eas inhabitandas. Emporium eſt vrbs, vel oppidum nundinarium,ad quod genteS ex multis terræ partibus negotiationis cauſa confluunt. Vicus intra oppidum vel vrbem intelligitur via domorum ſeriẽ complectens. ſed extra oppidum vel vrbem vicus idem eſt quod pagus. Pagus

Pagus aggregatum est rusticanarum domorũ quæ nullis mœnibus clausę sunt. Castellũ ęst paruus vicus muro circũdatus. Villa propriè intelligitur domus extra vrbem. rarius pro pago accipitur. Ciuitas propriè est collecta ciuium multitudo & societas, moribus, legibus, & institutis gubernata plerumque etiam pro oppido & vrbe accipitur. Tugurium est rustica habitatio tecta ex vlna palustri.

Mons est tumor terræ altissimus, ab eminendo dictus, & ferè omnes habent sua particularia nomina.

Collis, est minor mons, & quasi monticulus.

Vallis, est planities terrę omni ex parte à mõtibus collibusve conclusa.

Conuallis, est planities terrę omni ex parte à montibus collibusve conclusa: sic dicta, teste Varrone, quasi cauata vallis.

Campus, est amplum magnumque terrę planę spatium.

Ager, significat partem quandam ipsius territorij vrbis, quę priuatim ab aliquo possidetur. quandoque verò capitur pro ipsomet vrbis territorio.

Territorium est terrę spatium circa vrbem, vel oppidum, ad ipsum pertinens, quod colonis relinquitur.

Fons est, vbi aqua è terra scaturit.

Fluuius, Flumen, Amnis: aqua est continuè decurrens, & perennis, quę ab aliquo fonte vel laçu emanat.

Tor-

ca, Sardinia, Sicilia, Sarmatia Europæa, Taurica chersonesus, Dacia, Mysiæ duæ superior & inferior, Thracia, Chersonesus, Macedonia, Epirus, Achaia, Peloponnesus, Eubœa, & Creta quam nunc appellamus Candiam. In Africa quę Libya olim dicebatur, Mauritania, Numidia, Africa propriè dicta. in qua Carthago è regione Siciliç, Cyrenaica, Aethiopia.

Aphricam vocant quasi sine horrore aut frigore; est enim φρίκη horror, quem ex frigore contrahimus. In hac Nilus flumen, cuius ortum Ouidius eò latere existimat, quòd incēso à Phaëtonte terrarum orbe caput contraxerit atq; occultarit. In Asia: Pontus, Bithynia, Phrygia, Lycia, Galatia, Paphlagonia, Pamphylia, Cappadocia, Armenia minor, Cilicia, Sarmatia Asiatica, Colchis, Iberia, Albania, Armenia maior, Cyprus, Syria, Phœnicia, Palæstina, Iudæa, Arabia, Mesopotamia, ita dicta, quòd Tigris & Euphrates incluserint eam, quodque inter duo flumina constituta sit, Babylonia, Assyria, Media, Persia, Parthia, Carmania, Margiana. Bactriana, Scythia Aria, Arachosia, Gedrosia, India, Taprobana.

VRBIVM ATQVE REGIONVM nomina mutata.

BOEOTIA ante appellata fuit Aonia, vnde & Musæ Aonides dicuntur. Aegyptus Aêria dicta erat. Creta itidem Aêria nomine eodem. Attica ἀκτὴ. Corynthus Ephyre. Macedonia ἠμαθία. qua voce Lucanus vsus

est

est in operis exordio: Bella per Emathios plus quàm ciuilia campos, Iusq; datum sceleri canimus &c. Thessalia αἱμόνια, quod nomen in Sagittarij signo Ouidius vsurpat: Per tamen auersi gradieris cornua Tauri, Aemoniosque arcus, violentique ora Leonis. & in Ep. Heroid. ad Protesilaum: Aemonis Aemonio Laodamia viro. Tyrus Asiæ vrbs olim Sarra vocitata est.

DIVISIO GLOBI TERRESTRIS IN partes suas secundum quas hodie cognitus est.

SVPERIORI diuisione vsus etiam est Honterus noster. licet enim non ignorauerit (quò enim velocissima fama non peruenit) insulam nouam in Occidente nuper immensæ magnitudinis inuentam fuisse; tamen cùm nihil adhuc, aut certè parum admodum de eius situ ac natura conscriptum aut diuulgatum fuisset: præsentia ac perspecta & nulli non cognita percurrere breuiter maluit, quàm incertis rumoribus nitens rem tum temporis valdè dubiam Cosmographiæ suæ compendio inserere, & liquet ex verbis eius sub finem libri tertij vbi ait: Est etiã vlterius non visa prioribus annis Insula, diues opum, cultuque immanis agresti, Qnam lucri studium, rerumque cupido nouarum Prima sub extremo conspexit Sole cadente, Illa tamen valeant: iam nunc propiora sequuntur. &c.

Tribus igitur supradictis partibus quarta nuper adita est, nimirum America, intra annos cen tum

tum adinuenta, ipsisque antiquis prorsus ignota. quæ tamen, si magnitudinem spectes duabus aliarum portionibus æquari potest. Ex recentioribus quidam vniuersum Orbem in partes duas secant, in Veterem seu Antiquum Orbem quam Terram Ptolemaicam vocant, & in Nouũ Orbem, quam Terram Atlanticam vocant. Antiquus Orbis est qui Ptolemæo, Straboni, Plinio, Melæ, & alijs priscis fuit cognitus: Nouus verò qui recentioribus temporibus à naucleris Regum Portugalliæ, Hispaniæ, Gallię, ac Britannię detectus est. Congruentiore tamen forma vniuersus Orbis tam cognitus quàm incognitus in septem principales partes diuidi potest, quarũ primæ tres sunt Europa, Africa, Asia, antiquæ scilicet Orbis partes: quarta est Noui Orbis pars Septentrionalis (quam in Enchiridio nostro Geographico nuper edito vbique Americam nuncupauimus, quod idem in maiori isto Germanico volumine obseruatum animaduertetis) Sanuto Atlantica Septentrionalis vocata. hæc continens est amplissima, in qua sunt prouinciæ: Estotilant, Terra laboratoris, Terra de Baccalaos, Noua Francia, Norumbega, Florida, Noua Hispania, & aliæ Quinta est Noui Orbis pars Australis siue Meridionalis, quæ peninsula est, sed tam spatiosa vt toti Africæ magnitudine sua nihil concedat; hæc Sanuto Atlantica Meridionalis dicitur, & ab America nostra Isthmo discernitur. Prouincias autem siue regiones continet: Bresiliam, Tisnadam, Caribanam, Pa[illegible]uanã,

Peruuiam,ac plures alias. hanc autem Noui Orbis partem breuitati ſtudentes Peruuiam vbiq; vocauimus,à nobiliori ſcilicet in ea prouincia, ſicut & Aſia à nobiliori ſui parte(quam alio nomine Natoliam hodie vocant, & diſcretionis cauſa etiam Aſiam minorem, & propriè Aſiam) generaliter Aſiæ nomen retinet: quod in Africæ appellatione etiam fieri ſupra diximus.

Sexta pars eſt Terra Auſtralis, ſeu continens Auſtralis recenter detecta, cuius quidem littora penitus circumluſtrata iam aliquoties fuêre, interius tamen nondum cognita eſt. in hac Regio eſt Pſittacorum, Terra del Fulgo è regione Freti Magellanici Beac prouincia aurifera cum Lucach & Maletur regnis,inter maiorem & minorem Iauam poſita,& aliæ incognitę regiones. Vltima verò pars eſt Terra Borealis, quæ omniũ minima eſt,ac penè incognita, & in quatuor inſulas diſtributa, quæ diſpoſitæ ſunt circa polum ipſum Arcticum. nam ſub ipſo tradunt ſcriptores eſſe rupem nigram & altiſſimam 33. circiter Leucarum ambitu, & circum hanc illas eſſe inſulas, inter quas Oceanus 19. oſtijs erumpens, quatuor euripos facit, quibus indeſinenter ſub Septentrionem fertur,atque ibi in viſcera terræ abſorbetur.Ex his Euripis vnus quem facit Oceanus Scythicus, quinque habet oſtia, nec vnquã propter celerem fluxum, ſuiq́ue anguſtiam congelatur. alter verò eſt euripus è regione inſulæ Groenlandiæ, quæ tribus ingreditur oſtijs, & quotannis ad tres circiter menſes congelatus manet.

manet.latitudo eius eſt 37.leucarum. Inter hos autem duos euripos iacet inſula ſupra Lappiam & Biarmiam,quam Pygmæi inhabitãt, quatuor ad ſummum pedes longi. Refert autem Anglus quidam Oxonienſis hos quatuor euripos tanto impetu ad interiorem voraginem rapi,vt naues eos ſemel ingreſſę nullo vento retroagi poſſint, neque ibi vnquam tantum eſſe ventum vt molã frumentariam circumuoluere ſufficiat: quæ etiam Giraldus Cambrenſis in ſuo de mirabilibus Hiberniæ libello affirmat. Atq; hæc de Globi terreſtris partibus, quæ licet Continua vbiq; appellentur, reuera tamen nihil aliud quàm immenſæ ſunt inſulę,ſiquidem omnes vndiquaque aquis Oceani circumdantur: Continua tamen ſeu Continentes eas appellamus reſpectu reliquarum inſularum,quę vt quantitate Continuis hiſce æquiparari minimè poſſunt, ita innumerabiles penè ſunt diuerſis & formis & quantitatibus. Vt autem Lector aliqua relatione topographica recreari poſſit,nec Epitomen hanc tãquam nudum Indicem percurriſſe opus habeat, paucarum earumque præcipuarum vniuerſalem deſcriptionem terrarum adijciemus.

AFRICAE VNIVERSALIS deſcriptio.

PARS terræ habitatæ in Meridiem vergens, quam nos Africam,Græci Libyam vocant, vna eſt ex tribus Orbis partibus veteribus cognitis, quanquam nec ex toto explorata ipſis

fuerit;tum quia in mediterraneis ob vastissimas solitudines impermeabilis videbatur, in quibus arenosa sunt inuolucra, quibus à vento agitatis gentes periclitantur: tum etiam quia immensæ ac periculosæ fuit nauigationis, ac proinde à paucis olim circumnauigata; inter quos præcipui fuêre Hanno Carthaginensis ad explorandã eam à suis missus, & Eudoxus quidam Ptolemæum Latyrum Regem Alexandriæ profugiens. His tamen proximè elapsis temporibus pluries à Lusitanis circumnauigata est ac satis diligenter lustrata, præsertim iuxta littus ab Herculeo freto ad fauces fermè Arabici sinus. Primus autem qui Caput Bonæ Spei prætergressus, Africã à Meridie incognitam præternauigauit, fuit Vasco de Gama anno 1497. qui hinc ad Calecutum Indiæ peruenit, & viam ad Orientales Indias aperuit. Dicta autẽ fuit lingua Arabica IFRICCHIA, à verbo Faruca, quod Latinis diuidere est; cùm hæc à reliquis terræ partibus separata sit: ab Europa quidem Mediterraneo Mari, & ab Asia Mari rubro; aliqui tamen Arabiam ei iungentes (quò scilicet triangularis reddatur) Mari Persico eam ab Asia separant: quam disterminationem nos in Germanico nostro volumine sequentes, rationem eius ibidem adiunximus. Sũt etiam qui velint sic dici ab Ifrico Arabiæ Felicis Rege, quem primum omnium hanc terram incoluisse aiunt. sed Festus eam à Græco vocabulo φρίκη appellatam vult, vt suprà diximus. A Græcis Libya dicta, quòd à Libe Mauritaniæ Rege o-

ge olim perdomita fuerit. In sacris literis Chamesia ab Arabibus, & Aethiopibus Alkebulam, & ab Indis Besecath vocatur.

Magnitudine sua duplo Europam excedit: tametsi habitatorium illius vix partem habeat mediam, nec tam commodæ habitationis. inhabitabilis enim magna ex parte est ob aquarum inopiam, & solum eius plerisque in locis incultum, & aut sterilibus arenis, & inani puluere seu cinere obductum, aut Solis ardoribus cuncta exurentis obnoxium. denique venefici generis animalium & bestiarum tantus prouentus, vt alicubi ægrè, alicubi nullo pacto præ infestissimis illis ager, tametsi fertilis, coli aut habitari queat. Vnde vniuersa hæc regio magis vasta est quàm frequens: sed vbi colitur, eximiè fertilis est, ac frequentior est illi cultus, præsertim Borealior pars quæ Europam spectat, vbi olim inhabitata prorsus fuit. vniuersa item ora maritima inter Caput Bonæ Spei & Caput Nigrum multas continet planities, colles, valles, ac frugifera loca & amœna. vnde isthic perpetuo Ver apparet, & alibi etiam fertilis multum est. Aequinoctialis circulus mediam penè Africam secat, quæ non tantum vtrumque Tropicum attingit, sed vltra eos gradibus penè decem expanditur. Montes habet quamplurimos, quorum princeps Atlas est, qui immanibus & suprà quàm credi facilè possit altis iugis, è media arenarum vanitate cõsurgens extollitur, vtpotè supra nubes,

Flumina habet: Nilum. Nigrum, Gambram, quorũ quoduis innumeros in se minores recipit, & magnitudine Danubium nostrum longè superat. Elephantes producit innumeros, Leones etiam quàm alibi immaniores. Locustarum in Aethiopia tanta colluuies vt grandinum instar latissimos agros obumbrent. Dactylorum ac palmarum alicubi tantus prouentus vt syluam Herciniam densitate & amplitudine superare sua videantur.

ASIAE VNIVERSALITER descripta.

TOTIVS Mundi nobilissima portio, cæterarumque partium maxima & vastissima est Asia, quæ Africam & Europam coniũctas si non excedere, æquiparare tamen magnitudine sua facilè potest: præsertim hac nostra ætate, qua tota ad Ortum & Septentrionem lustrata est; vbi sunt Chinensium & Tartarorum Imperia, non adnumeratis tamen insulis ad ipsam spectantibus, quæ in vnum collectæ Europam excedunt. Hoc autem nomine nuncupata olim fuit ab Asia Oceani & Thetyos filia, Iapeti vxore & Promethei matre: siue vt alij volunt, ab Asio Manæi Lybi filio. In sacris verò codicibus Semia hæc ipsa Mundi pars appellatur. Iacet autem propemodum tota in Septentrionali Orbis plaga ab Aequatore vsque ad gr. 80. latitudinis Borealis, exceptis tamen insulis ad Asiam pertinentibus, quarum aliquot vltra Aequatorem porri-

porrigũtur: Vnde maxima diuersitas per totam Asiam in magnitudine dierum artificialium cõspicitur. Nam in vltimo eius parallelo, qui non longè ab Aequinoctiali per extremam Malaccæ Regni oram ducitur, longissima æstatis dies est horarum penè 12. circa medium Asiæ parallelũ est horarum quindecim, & in eius Borealissimo parallelo perpetua lux æstatis quatuor ferè integris mensibus perdurat. At secundum longitudinem extenditur à Meridiano gr. 52. vsque ad Meridianum ductum per grad. 196. sed si Mercatoris descriptionem sequamur, Occidentalissimus eius Meridianus transit per gr. 57. iuxta extremam Asiæ minoris (vulgo Natoliæ) Occidentalẽ oram; & Orientalissimus transit per gr. 178.

Hæc autem tribus partibus percingitur vastissimo Oceano, qui ab Oriente vocatur Orientalis seu Eous: à Meridie Indicus: & à Septentrione Scythicus: ab Occidua verò parte Mari Mediterraneo ac ponto Euxino: Tanai autem fluuio magna ex parte ab Europa scinditur. Asia namque in extremitate sui Septentrionali ad Occasum per dorsum quod inter paludem Mæotim & Sarmaticum Oceanum excurrit, Europę coniungitur, supra Tanais nimirum fontes: vtriusq; autem terminus est ipse Tanais fluuius. Præterea Asiam ipsam Taurus mons mediam quodammodo cinguli in modo diuidit, ab Occidente in Orientem longissimo tractu excurrens, vnamque eius partem ad Aquilonem relinquens quã Græci Interiorem vocarunt: alteram vero ad

Meridiem, quæ Græcis exterior Asia est. Tauri autem montis latitudo plerisque in locis stadiorum est trium millium, id est, miliarium Italicorum 375. longitudo autem eius tanta est quanta ipsius Asiæ, vtpote stadiorum circiter 45000. hoc est, miliarium It. 5625. ab ora nempe Rhodiensi vsque ad extremas Chinæ partes. Idem mõs in nomina ac partes multas diuiditur, quarum aliæ maiores, aliæ minores ambitus comprehẽdunt. Potitur Asia incomparabili aëris clementia. tam est opima ac fertilis, agrorum vbertate, fructuum varietate & pastionis magnitudine, vt facilè omnibus terris antecellat. mittet enim balsamum, thus, myrrham, cassiam, cinnamomum, garyophillum, piper, crocum, ligna odorifera, resinam suauissimi odoris, muscum, & alia aromata. auro item optimo ac pretiosis lapidibus omnis generis abundat. Alit præterea elephantes innumeros, camelos, tigres, & alia com plura tum domestica & mãsueta, tum syluestria ac fera animalium genera. Memorabiles eius fluuij sunt: Ganges, Indus, Tigris, Euphrates, Rha seu Volga, & alij permulti. Credidit antiquitas multa fabulosa de hac Orbis parte, quæ recentiorum peregrinantibus falsa esse comperta sunt. In hac Orbis parte primus homo conditus est, peccatum in Mundum peruenit, primum latrocinium commissum, sanctissima ac pulcherrima Mundi vrbs extitit, totiusq; Orbis conditor ac redemtor perfidè necatus est.

EVRO-

EVROPAE VNIVERSALIS *descriptio.*

EVROPA omnium Terræ partium quamuis minima, reliquis tamen cùm hominũ frequentia, tum etiam fertilitate, si non superior, certè æqualis & cum optimis comparanda, vtpotè populosissima & cultissima. Siue etiam terræ excellentiam metiri placeat, vel ex sua, ad animalium & imprimis hominum vitam sustentandam ac fouendam commoditate, certè modis omnibus principatum tenere videbitur Europa; quippè cum felix prouentu rerũ omniũ & ad vitã sustentandam, & contra morbos tutandã. herbas ferẽs medicas omnis, fructuum variorum lautissimorumq; gaudẽs abundantia, viniq; ac frumenti copia: tum & ea quæ delicatiorem quoque vitam iuuant abundè suppeditans, vt nil eorũ quod desiderari possit humanis vsibus ab alijs petendum sit. nisi quis gemmarum aut aromatum nihil in ea nasci obijciat: neque tamẽ is negabit, compensari rerum earum penuriam, aliarum non minus vtilium, tum quibus harum vice rectè vti liceat, copia & abundantia. Aëre Cœloque vtplurimum fruitur temperato & clementi; vtpote sub zona temperata posita. Verùm sit magis felix vel India vel Africa, prouentu rerum ad delicatiorem vitam desideratarũ; non tamen ideo terræ istæ videbuntur huic præferẽdæ

si modò non metienda videtur terrarum excellentia, vtensilium in eis copia; sed vtentium (propter quos illa creata sunt) frequentia. Est Asia magna, vastaque, habitatores pauci: Africa quãuis multò minor, Europam tamen duplo & amplius excedit: habitatorum verò huius illa vix habet partem mediam; ita vt verius à terra hi, quàm ab his terra habeatur. Hæc igitur Europa, parua quidem, cultissima tamen & populosissima, qua in parte sola etiam totam seu Asiam seu Africam excedit, nitens, totaque habitata, prænterquam in exigua parte, quæ ob frigoris iniuriam vix aut ægrè habitari potest: populos gignés pugnaces, fortesque agrorum & vrbium cultores, legibus benè constitutas Respublicas tenẽs. fructuum optimorum feracissima, metalla etiam seu minæralia habens omnia, pecudum mitium ditissima, cùm & ferarum non minus vtilium alet copiam, nociuarumque raritatem iactet. Incolæ ingenio semper acri, animoque forti sunt & fuerunt, vt sæpius his animi & corporis dotibus totum Imperio suo Mundum subdiderint: & fatale ipsis esse videatur reliquis terræ partibus imperare; vt ex fortissimè Alexandri Magnis rebus gestis apparet, imprimis tamen Romanorum. Atque hodierno etiam tempore videmus, longissimè remotas terras à plerisque nostratibus Regibus ac Principibus teneri & gubernari. Hanc autem Europam hodie vulgò Imperium Romanum; frequentius autem (quod etiam latius patet) Christianismum seu Christiana-

anatum, siue orbem Chtiſtianum vocitare ſolemus, quamuis plurimis in locis penitus extirpata ſit fides Chriſtiana. Quod ad magnitudinem eius, habet tota hæc pars in longitudine, quæ computatur à Maritimis Luſitaniæ, vtpotè ab Vliſſibona Conſtantinopolim ad extrema vſque Græciæ, miliaria Germanica circiter ſexcenta, ac totidem ferè in latitudine, vbi eſt latiſſima, vtpote ab inſula Sicilia in Schricfinniam vſque, extremitatem totius Continui iſtius Europæ Borealis. Vnde nomen hoc ſuum Europa traxerit, quiſve eius autor extiterit, parum inter ſcriptores conſtabat: niſi quod dicamus ab Europa Agenoris Phœnicum Regis filia nomen terram hāc accepiſſe; nec antè, ſicut cæteras, nomen habuiſſe. Eam autem Iupiter in Taurum conuerſus aſtutia quadam raptam per Mare natando in Cretam abduxit, vbi tutus amore eius potiretur. Hac de re vide Ouidium in Metamorphoſi ſua, & in 5. Faſtorum libro.

GERMANIA VNIVERSALITER.

OMNIVM in Europa Regnorum maximū ac florentiſſimum eſt Germania, hominum diues, & populis immenſis frequēs, quæ ſi cum reliquis conferatur regionibus, minimum fuci, plurimum antiquæ ſinceritatis ac fidei, & ruſticanæ, vt dici ſolet, veritatis obtinet. Tacitus inquit: Fœnus agitare, & in vſuras extendere, ignotum, eò quòd minimè auari, fraudulenti, ac ſubdoli eſſent, rerum nuda ac ſimplici

permutatione vtebantur, merces dabant, merces recipiebant, contēti sua sorte, vtpote apud quos plus valebant boni mores, quàm alibi bonæ leges. Sermo gentis longè lateque fusus sua tamen idiomata habet. Hanc olim Germaniam idem Tacitus informem terris aiebat esse, asperam Cęlo tristem cultu aspectuque ac in vniuersum syluis horridam, aut paludibus infœcundam, humidiorem quâ Gallias, ventosiorem quâ Noricum ac Pannoniam aspicit: Frugiferarum arborum ac omnis culturæ impatiētem, sterilem, pecorum tamen fœcundam, sed plerumque improcerorum, auro atque argento immunem, & propterea vilem despectamque ab omnibus. Hodie regio est adeò amœna, pulcherrimis vrbibus, castris, pagis ac villis ita exculta, vt non Italiæ, non Galliæ, non Hispaniæ ipsa cedat. Cœlum satis clemens habet, agrorum camporumque fertilitatem optandam: sunt & colles aprici, nemora opaca, frumentorum abundantia, viniferi montes. mille hic iam hortorum ac villarum deliciæ; nulla viridaria pomariave, nullę consitiones, nulla tempe, nulla vineta desiderantur. Solum ipsum hordeo, tritico, siligine, farre, milio, auena, atque omni frumentorum, leguminum, obsoniorum genere ferax, campi vberes prata læta. Sunt clarissimi amnes, mineræ salis plurimæ; thermæ salubres, aquas calentes passim producente natura. Non argenti, iam non auri, non margaritarum tandem hîc incognitus vsus est. Vniuersa & Gallia, & Hispania, & Italia

argen-

argentum ex Germano negotiatore omne habuit, priusquam ad Indias nauigatio aperta foret. Metallorum ita omne genus habet, vt nec auro sit priuata, quorum iam inuestigatis mineris hoc infeliciores sunt, quòd miseros in terræ viscera iam auri sitis intruserit. Hîc nulla non literarum cognitio, legumve disciplina, nulla non bonarum artium studia florent. Videat igitur hic Tacitus noster, quàm sæpe bona materia cesset sine artifice. Quid? quòd præclarissimorũ ingeniorum sit feracissima? quid enim solertius vnquam aut vtilius inueniri potuit typographia, & postmodo chalcographia seu tabulorũ æncarum exuratio & excusio? quamuis nec obtrectatoribus ars ista humanissima careat, quorum inertiæ expediuisset si sepulta perpetuo latuisset. quod inuentum gloriosius & aduersus Christiani nominis hostem, barbarorumque incursiones vtilius instrumento isto iaculatorio quam bombardam vulgò vocamus? quanquam rerum optimarum magnus etiam abusus esse possit. Nonne & amœnum illud (quamuis leue & inane) tympanum militare, quem trummulũ vocamus, vt innumera alia omittam. Porrò vix est in Europa terra alia quæ maioribus fluminibus irrigetur quàm hæc: è quibus vndecim numerantur præcipua nauigabilium; horum primum est Danubius, ad cuius ostia Ouidius olim exulans, pronunciare de eo non verebatur: Cedere Danubius se tibi Nile negat. inde Rhenus, Nicer vel Neccharus, Mœnus, Mosella,

Mosa,

Mosa, Scaldis, Amesis, Albis, Visaris seu Visurgis, Sueuus, Viadrus, Vistula, quæ omnia pluribus concomitata minoribus fluuijs, quorum enumerandi locus hic non est, partim in Euxinum, partim in Mare Balticum, partim in Oceanum Germanicum exonerantur. Montes verò nominatissimi sunt Rolbergus, Mons Isidis, Melibocus, Pinifer Hessus, ostbergus, Sueuus, Pauonis, Rheticus, Seuo, Sprulius, Vocetius, Vosagus. Syluæ insunt plurimæ, duæ tamen præcipuæ, Hercynia nimirum & Martiana. Publica Germaniæ Gymnasia sunt: Basilea, Colonia, Dillingia, Moguntia Marpurgum, Lipsia, Ingolstadium, Heydelberga, Grypswaldia, Friburgum Brisgoæ, Francofurtū ad oderam, Erphordia, Praga. Rostochium, Mōs regius, Treueri, Tubinga, Vienna Austriæ, Vratislauia, VVirtēberga, Herbipolis vulgò VVurtzburg. Quantas insuper laudes mereatur ordinatio de institutis Electoribus, res ipsa testatur. hac enim ordinatione durauit Imperium supra sexcentos iam continuos annos in Germania. minus namque insidiosæ & clancularię conspirationes Papæ cum Italis aut Gallis succedunt, qui à Germanis Imperij celsitudinem sæpenumerò aliò transferre conati sunt. & habet plus præsidij Imperator à pluribus Principibus quorum consensu electus est: minusque concertationis oriri potest propter Electionem, primariorum Principum votis consentientibus. Firmior enim ac diuturnior sperari potest, si ad plures Principes relegata sit Imperij Maiestas, quàm

si in

si in vnius alicuius sanguinis successione hæreret.

ANTIQVISSIMA AC CELEBRATISsima Italia.

CONSENTIVNT in hoc veteres scriptores, Ianum, qui & Ogyges, eo tempore venisse in Italiam, quando Mundus adhuc fuit aureus, & homines iusti. Ipse docuit homines plantare vinum & frumentum, & de eis facere oblationes, atque temperatè inde viuere: fuit namque Ianus sacerdos & vir religiosus, doctus, philosophus: imò & Theologus: fuit inquā pater deorum ac hominum, caput & rector totius primi generis humani, à quo suo æuo magni & lati Orbis pendebat custodia. Egressus est Ianus iste post diluuium ex Aram, ea quæ postea Armenia, in Italiam, condiditque in ea ciuitatē, quam de suo nomine Ianuam appellauit, quæ postea corruptè Ienua & porro Genua nuncupata est. Sub eo recenti Mundo pura illa vixit ætas quæ aurea dicta est, annis ferè 250. post diluuium. Cùm autem Hesperus in Ianiculum concessisset, ab eodem denominata est Hesperia, etiamsi Macrobio placeat sic dictam quòd Hespero stellæ sit subiecta. Fuit etiam aliquando à Camese Camesena, & à Saturno Saturnia dicta. Item ab Aegyptio Osiride, qui & Iupiter cognominabatur, proprio tamen nomine Dionysius, dicta est quibusdam Taurina: adeptus enim fuit inclytam contra gigantes victoriam. Quin veteres

res non rarò Græco vocabulo, vel à bonitate vini quod ibi nascitur, vel ab Oenotrio Sabinorũ Rege Oenotriam vocauêre. Tandem verò dicta est Italia ab Italo Siculorum Rege, qui agriculturam Italos docuit, & leges posuit. Proinde duo Maria quæ Italiam includunt, nempè Adriaticum à ciuitate Adria, quæ & Atria dicta, cuius situs non longè abest ab ora Padi, fuitque olim ciuitas magna & ampla, vbi nunc ager Ferrariensis iacet, cuius vestigia adhuc parua quædam extant: à qua non solùm Mare Adriaticum, sed & Athesis preterlabens fluuius Atrianus vocatus fuit, etiamsi Strabo vrbem potius à fluuio denominatam fuisse dicat. Tyrrhenum verò Mare à viro Græci nominis Tyrrheno nomen accepit, qui ex Lydia in Italiam veniens certam oram terræ de suo nomine Tyrrheniam vocauit. Id autẽ haud diu post excidium Troianum factum scribunt. Ob insignem igitur fertilitatem qua Italia est prædita, illico post diluuium habitationi est assignata, culta, & castellis adornata, atque frequenti habitatore repleta, qui & diuersis eius locis & successoribus suis nomina reliquerunt; tametsi quidam temporum successu propter trãslationes aut aduentum aliorum populorũ quoque mutati sint è sedibus suis. Porrò hæ numerantur principales partes & regiones Italiæ: Istria, Gallia togata, Liguria, Tuscia, Vmbria, Latium, Campania, Apulia, Calabria, & Græcia magna. progressu tamen temporis alia atque alia nomina partitionesque succreuerunt. Aelianus

nus de Italia hæc ſcribit: Incoluerunt Italiam plurimi homines, & vix eſt terra in qua plures fuerunt coloni quàm in Italia, idque propter ſummam & eximiam eius fertilitatem, diſpoſitionem Marium, portuumque commoditatem. ſuperauit etiam manſuetudo incolarum omnium nationum incolas, & numeratę ſunt olim in ea 1166. ciuitates. Noſtra verò tempeſtate multa oppida ſubuerſa ſunt, iacentque in ruderibus. multique duces quos nacta eſt 359. annos, nullam ei attulerunt vtilitatem, nec defenſa eſt ab ijs. notantur etiam quidam Rectores de tyrannide, nempe qui occuparunt patrimonium Sancti Petri in iacturam Sedis Apoſtolicæ. Hæc Aelianus. Vtque omnia paucis comprehendamus, Guilhelmi Kyriandri verba ſubijciemus: Italiam (inquit) videre & cognoſcere inprimis eſt operæ pretium: nam ſi varias Imperatorum formas; ſi benè, melius, atque optimè conſtitutas Reſp. ſi leges diuerſas. ſi præclaros homines & ingenia, diſciplinarum etiam & artium omnium alumnos; ſi morum non modò optimorum ſed etiam peſſimorum exempla; ſi corruptelas, montium aſperrima iuga, conditiones agrorum varias, facultates omnium rerum quæ Terra cõtinet inexplicabiles, ſi portus nobiliſſimos, & littora multorum Marium vndis circumfuſa, ciuitates pulcherrimas, ædificia magnificentiſſima, nouarum vrbium res florentiſſimas, veterũ miſerãdas reliquias, totius antiquitatis veſtigia, virtutum cunctarum trophæa, vitiorum omniũ monumenta, naturæ operũ varietatem infinitã;

breui-

breuiter, quicquid excogitari queat, si desideres, in Italia ni sit, extra Italiam haud quærendum crediderim. Hactenus Kyriander. Fluminibus rigatur plurimis ac penè innumerabilibus, quorum præcipua sunt Tyberis, Padus, Arnus, Vulturnus, Losatus, Iesernus, Sanguicus, Piscarus, Druentus, &c. Mons Italiæ totius præcipuus est Apenninus, quem sic dictum ferunt ab Api prisco duce, qui totam Italiam deuicit. perpetuum huius montis iugum instar est Italiæ dorsi, quod elatum Italiam diuidit, & per mediam regionem sensim incedens, tandem in duo cornua diducitur, alteroque Siculum, altero Ionium Mare respicit. Syluarum præterea: thermarum, ac miuærarum copiam regio tota exhibet.

GALLIAE REGNVM.

CVM Galliæ appellatio perampla sit, & sub ipsa non tantùm Franciæ Regnum, sed bona etiam Italiæ ac Germaniæ pars comprehendatur; hoc loco de ea tantùm Galliæ parte pauca dicemus, quæ propriè regnum Franciæ vocatur. Longè autem ante Christi tempora & priusquam Romani Galliam suo dominio subegissent, præfuerunt Galliæ multi priuati, reges & principes, qui non magni fuerunt nominis, vtpote Lugdus, Allobrox, Belgius, Trebeta, & alij plurimi, vnde priuatæ regiones suas mutuarunt denominationes; fuitque tunc & aliquot annis post Christum natum ea regio Gallia, & non Francia nuncupata. Assecuti sunt autem

tem Romani dominium in ea ferè centum annis ante Christi natiuitatem, retinueruntque illud propè quingentis annis. Interea autem temporis dum Sicambri, qui postea Franci dicti sūt; quique ostia Rheni & circumiacentem agrum possidebant, indies crescerent & roborarentur viribus, cœperunt excurrere in finitimam Galliæ regionem, occupare arces & oppida, atque exturbare Romanos, vt etiam anno Christi 420. Pharamundus vigesimus quartus Francorum Rex, primus fuit in Gallia Francigenarum Rex: atque sub eius filio Clodio, atque nepote Meroueo Sicambri ferè totam adepti fuerint Galliā, relictisque prioribus mansionibus, quas circiter 870 annis tenuerant, migrarunt in Galliam, potiti eius dominio. Didicerunt quoque Gallorum linguam, quam Romani introduxerant, & conformes fecerunt se moribus eorum, sicut & alij Franci, qui à fratribus suis secedentes, & pagum Mœni, vbi Herbipolis est hodie, occupantes, Germanorum linguam ac mores didicêre. Pharamundus verò (*VVa mundt* Germanicè) vnanimiter à suis electus in Regem, transtulit sedē suam à Francia Orientali (quæ hodie Franconia discriminis causa appellari solet) in Franciam Occidentalem. posuitque legem quam Salicam vocant, ne Regni successio in colum transferretur, hoc est, ne mulieres Regni hæredes fieri permitterentur. Hunc secuti sunt reliqui Reges in hodiernum vsque diem. Porrò quod ad Nobilitatem siue Equestrem ordinem in Francia atti-

net, is maximis hodie fruitur commoditatibus ac priuilegijs, eoque fit vt magno quodam affectu Regem complectantur, vt vitam quoq; pro ipsius ac patriæ salute profundant. neque enim vllum pendunt tributum, & armatis licet ipsis esse quocunque loco, multaque habent vitæ præsidia, sic vt non sit opus illiberalem aut quæstuariam aliquam artem exercere. Quod ad fertilitatem regionis huius, ab antiquis temporibus semper culta, tam in vrbibus & oppidis quàm agris, hortis, & pratis: nullusq; à tempore Christi in tota Gallia angulus incultus fuit, præter lacus & nemora quæ culturam non admittunt. Præcipuè autem loca Mediterraneo Mari propinqua miræ sunt fertilitatis, vt etiam ibi cupressi & rosmarina passim per campos crescant sua sponte, sine omni humana solicitudine, haud secus quam in hisce partibus crescunt Iuniperi. Mala punica, granata, & citrones nullibi frequentiora sunt quàm in Prouincia. Deinde quã nobile in illis partibus crescat vinum, imò per totam Galliam, quæ tot irrigatur & fœcundatur amnibus, dici non potest. Quàm ferax sit ager Parisianus, poteris hinc colligere: cùm vice quadam Rex Ludouicus XI. scire vellet quot armatos viros Lutetia producere posset in agrum, numerati sunt septuaginta millia virorum procedentium ad militiam. vbi igitur multus est populus, necesse est vt fœcundum habeant agrũ vnde eis sufficiens suppetat victus. Cùm permultas easque amplissimas habeat vrbes Francia, omnium

omnium tamen maxima est Lutetia Parisiorum, cuius encomium elegantissimo carmine descripsit Eustachius Knobelsdorff Prutenus, quòd hic subijcere prolixum nimis foret. Architremius tamen Poëta luculenter his panegyricis versibus de ea scribit:

Exoritur tandem locus, altera regia Phœbi,
Parrhisius. Cyrræa viris, Chrysæa metallis:
Græca libris, Inda studijs, Romana poetis,
Attica philosophis, Mundi rosa, Balsamus Orbis,
Sidonis ornatu, sua mensis, & sua potu,
Diues agris, fœcunda mero, mansueta colonis,
Messe ferax, inoperta rubis, nemorosa racemis,
Plena feris, fortis domino, pia Regibus, aura
Dulcis, amœna situ, bona qualibet, omne venustum,
Omne bonum, si sola bonis fortuna faueret.

De Normandia quoque scribitur, quod præter Metropolitanam & alias sex præcipuas ciuitates habet 94. minora oppida, vicos quoque & castella sine numero. Habet Rex Galliæ Rothomagi in metropolitana Normandiæ ciuitate Senatum doctissimum, virosque prudentissimos, qui toti prouinciæ ius dicunt. sunt etiam in ea vrbe potentes mercatores, ob quorum traiectiones & mercaturas nomen vrbis longè lateque apud multas gentes est cognitum. Habet autem hæc regio copiam piscium & pecorum atq; frumenti. sed & pomiferarum arborum tanta est in ea multitudo, vt ex pomis potum faciant, aut pro magna parte in alias deferant terras.

In summa, abundant omnibus rebus ad vitam humanam necessarijs, præter vinum quod ibi non crescit.

POTENTISSIMVM HISPANIAE regnum.

REGNVM hoc magnificentissimum vndique alluitur Oceani ac Mediterranei Maris fluctibus, excerpta ea parte qua Galliam contingit, vbi altissimis montibus quos Pyrenæos vocant, separatur à Gallia. Appellantur autem montes illi Pyrenæi, à crebris fulminum ignibus, vel quòd sylux in Pyrenæo frequentes, & habitationes iniecto à pastoribus igne prisci temporis flagrauerunt. durante autem incendio aliquot diebus, ex montium concoctione cœperunt descendere stellicidia argenti liquefacti: & cùm habitatores illorum locorum vsum argenti non haberent, contemnerentque metallum illud: superuenientes mercatores è Phœnicia, emerunt vilibus mercibus magnam vim argenti.

Diuisa fuit olim Hispania in tres prouincias: Beticam quæ hodie est Granata: Lusitaniam, Castiliam. Nauarram, & Galliciam. fuitque (si Iosepho & Beroso credimus) Tubal Noë nepos primus Rex Beticæ, extruxitque in ea regione ciuitatem quam à se denominauit Tubal. hic operam dedit rei pecuariæ, sicut omnes primi patres pecoribus alendis studuerunt, quæ & victũ & amictum homini ministrant. Hinc quoque putant maiorem Hispaniæ partem appellatam

Tar-

Tarraconem, quæ cùm Hebraica vox ſit, Latinè
boum poſſeſſionem ſignificat. Succeſſit Tubalo
in regno Iberus, à quo fluuius quidam Iber eſt
appellatus,& adiacens regio Geltiberia:Betus à
quo Betica:Hiſpanus,ſeu vt aliqui malunt, Hiſ-
palus,à quo omnis terra deinde Hiſpania deno-
minata eſt:Heſperus, à quo eadem terra Heſpe-
ria dicta:Luſus,à quo Luſitania. Poſteaquam ve-
rò Romani Hiſpaniam ſibi ſubiugaſſent,in duas
diuiſa eſt prouincias,Beticam & Terraconen-
ſem, durauitque partitio illa vſque ad tempora
Attilæ,tunc rurſum alia adminiſtratione Hiſpa-
nia eſt gubernata.Nouiſſimè ſub Saracenis diſ-
criminata eſt in quinque regna, Galliciam, Na-
uarram,Caſtiliam ſiue Legionem, Cataloniam,
cui & Arragonia annexa eſt, Portugalliam, &
Granatum.Porrò Gallicia non diu proprium &
diſtinctum manſit regnum,ſed amiſſo legitimo
hærede,incorporata eſt Tarraconenſi. Alij ad-
huc plura numerant regna,Valentiæ,Toteti,Al-
garbiorum,Murciæ,& Cordubæ.Noſtro tempo-
re, omnia hæc regna in vnum contracta ſunt,
præter Portugalliam quæ proprium habet Re-
gem.Habet Hiſpania ſeptem Archiepiſcopatus,
quorum ſedes ſunt in Tarracone,Cæſarauguſta,
Toleto,Cõpoſtella,Bracara, Vlyſſibona,& Gra-
nata.Alij nouem ponunt.ſub quibus tamen ſunt
plurimæ Epiſcopales ciuitates. Modico inter-
uallo diſtant Granata & Mauritania. ibi namq;
ingreditur Oceanus per magnas anguſtias in
Mare Mediterraneum, vbi & duo montes erigũ-

tur, vnus in Mauritania qui Abila vocatur, & alter in Hispania cui nomen est Calpe: & hi à quibusdam vocantur Columnæ Herculis; putantq; olim vnum fuisse montem siue saxum perpetuo iugo coniunctum, quod Hercules suo robore perfregerit, intromiseritq; Oceanum in ipsam terram. alij insulam Gades asserunt fuisse Herculis columnas. alij in Gadibus fuisse templum Herculis, in quo positæ fuerunt duæ æneę columnæ, altitudine octo cubitorum, in quibus signatus fuit sumptus pro ædificio illius templi factus; & nauibi Herculi sua persoluebant vota: fuitque locus ille secundum veterum opinionem finis Mundi, nec ausi fuerunt Hercules aut vlli alij naues in Oceanum deducere citra vitæ periculum. Est autem Gades insula parua, habetque tam pinguia pascua, vt nullum serum à lacte segregent, sed cogantur affundere aquam, cùm lac in caseum coagulare volunt. Multis quidem in locis Hispania inculta iacet idque ob saxeum fundum, vel ob solitudines squalentes, aut alias ob causas, quamuis multò quàm Africa sit fertilior. Suppeditat autem Hispania multis in locis abundè ea quibus homo opus habet, vt sunt frumentum, vinum fructus, oleum pecora, linum, ferrum & metalla, mel, cæra, piscosæ aquæ, & similia. Non coquunt salem, sed effodiũt è terra. Non fatigatur terra tot ventis vt Gallia, nec inficitur aër pestiferis paludibus ac nebulis. Aurum, argentum, & ferrum bonum ac probabile nullibi in tanta copia vt in Hispania est inuen-

uentum. reperta namque olim in Hiſpania ſunt fragmenta auri depurati magnitudine dimidiæ libræ. Eſt & ſemper Hiſpania equorum pernicitate commendata, quos leuis armaturæ equites tibijs contractis pulchrè obequitant. Nomen magnum ab aliquot annis bellica fortitudine Hiſpani ſunt adepti, plurimis ab hoſte partis victorijs, vt qui laborum, ſitis, ac famis in acie ſunt tolerantiſſimi & in ſtratagematibus cautiſſimi, leui corpore, vt facilè hoſtem fugiant ac ſequantur. Oceani nauigationibus ad incompertas regiones toto Orbe ſunt clariſſimi. Habentur etiam Hiſpani in religionis ritibus ſupra omnes mortales ſuperſtitioſi; per Regis ſolium, & vitã eius gentilicio more iurant, & oſculo manuum in ſalutationibus ſupplicant. Porrò de moribus & ritibus antiquorum Hiſpanorum Strabo & Poſſidonius mira ſcribunt.

HVNGARICI REGNI, AC TRANſyluaniæ principatus (vulgò Septem Caſtrorum) deſcriptio.

HVNGARIA olim Pannonia inferior appellata, eiuſque incolæ Pannones vocati fuêre. hi quidem à Gothis expulſi; poſt Gothos autem Hunni ex Scythia oriundi eam poſſederunt. Inde Longobardi; illiſque repulſis Hunni denuò occuparunt, atque in hodiernum vſque diem poſſidentes, Hungariam de ſuo nomine dixerunt.

Danubius, qui & Ister, Regnum hoc secundum longitudinem perfluit, in duasque diuidit partes: quarum hæc Australis, Hungaria infradanubiana dicitur; sicut illa Septentrionalis Hungariā supradanubiana. In hac sita est Buda Regni metropolis ac sedes Regia priusquam à Turcis caperetur. Situs eius amœnissimus, aëre iucundo, agrisque fertilibus sic ditata, vt propter hæc & propter regia quibus ornata est ædificia, omniumque rerum quæ ad necessitatē vel ad splendorem requiruntur abundantiam, nulli in tota Europa cedat. Hanc Alba Regalis sequitur, Regum coronatione ac sepulturis celebris. Strigonium Archiepiscopatus dignitate gaudet. Stridon diui Hieronymi patria est. Prope Zeuerinū in Danubij ripa, Orientem versus, pontis Traiani apparent vestigia. super hunc enim fluuium Traianus Nerua pontem miri operis in Mœsia construxit, opus sanè mirandum & memorabile: viginti stant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo 150. pedum præter fundamenta habetur: latitudo 60 pedes continet. distant autem inter se 170. pedibus, ac fornicibus coniunguntur, impensa ingens & vix credibilis. Sed illud mirari conuenit, quanā ratione, & quibus viribus, quove artificio in illa gurgitū altitudine tamq; pcipiti fluuio singulæ colūnæ extrui valuerint, tantarum moliū fundamenta stabiliri. vada præterea limosa erant, neq: amnis aliò verti poterat. quanta verò altitudo sit aquæ, & quàm latè pateat amnis, vix enarrauerim. diffunditur per

ea loca spatiosus, atque interim imbrium mole concitatus, ripas longius summouet: alibi verò duplo atque interim triplo, priore sui parte maior aut restagnat, aut defluit. qua verò actatur, vorticosus ac ferox ædificia & pontes non patitur: & rursum liberatus angustijs in pelagi formam totus expanditur: iterumque coiens, quasi retentus profundior & rapidus fertur. arduum igitur & maximè laboriosum fuerit in ea fluminis parte pontem ædificare. Post aliquot tempora structuras & fornices huius pontis quantę super aquam eminebant, iterum demoliri iussit Hadrianus Imperator. qua tamen animi magnitudine vel generositate, ipse viderit. Pilæ etiamnum extant, ceu in ostentationem potentiæ & Cæsaris opum fabricatæ; simul etiam vt posteris testatum maneret, nihil esse quod hominum manu, & opibus Romani Imperij effici non potuerit.

Omnes ferè totius Europæ regiones Hungaria superat, & virorum fortitudine & magnanimitate, animalium fœcunditate, soli pinguedine, minærarum copia, metallorum varietate, aëris salubritate, ac locorum opportunitate. Vinũ adeò generosum producit, vt alicubi Maluatico æquiparari possit. Ferinæ tanta abundantia, vt venationes & aucupia cuiuis licita sint: lepores siquidem, cerui, phasiani, perdices etiam rusticorum ac plebeiorum familiaris est cibus, qui apud nos in delicijs habentur. pomorum prætera varietate abundat. Boum ouiumque tantam

producit copiam, vt vniuersæ pene Lombardiæ ad victum sufficiat. Solam urbem Viennam quo tannis circa 80000. boum transeunt, qui inde in diuersas Germaniæ regiones abiguntur. Quàm sit pisculenta, ijs qui nunquam viderunt non sit verisimile: Tibiscus fluuius, vulgò Teissa, in prouerbio, ex duabus partibus aquæ, tertia autem piscium constare videtur. tantam enim quotannis eorum copiam largitur, vt intra regionis limites distribui aut vendi omnes nequeant. Incolæ Scythica vtuntur lingua, quæ à circumiacentibus populis planè diuersa est.

TRANSYLVANIA, Septem Castra, Germanicè *Sibenburgen*, à Saxonibus ita appellata; qui septem quoque castra in ea constituerunt; circũquaque altissimis ac densissimis syluis ac montibus tanquam mœnibus cincta, ita vt aditus in eã, atque regressus cuiuis difficilimus pateat, nisi per angustias quasdam fluuijs ac riuulis exitum præbentes; vtpotè Alutha fluuius, ad quem munitissimum castrum Rotenthurn (quasi rubra turris) situm est ad vias tutandas & custodiendas. ad eundem modum arx Brosch ad Mariscum fluuium, tanquam propugnaculum positum est. Vrbes in ea præcipuæ sunt: Cibinium Germ. Her manstat, ampla ac munita, paludibus multis circumsepta, vt captu difficilis sit: Corona Germanicè *Cronstatt*, propter excellentiam secunda, similiter ad viam qua egressus è regione patet, locata; vbi itidem ad viatorum tutelam arx bene muni-

nita Turckſſeſt poſita, ibique frequens eſt Græcorum mercatorum negotiatio. eſt autem Corona hæc patria poëtæ noſtri Honteri. Sunt præterea Schlesburgum, Medovviſa, Noſa, Zeugma vel Clauſenburgum, Millenbachium, VVeiſſenburgum, Germanicis ſuis nominibus inſignitæ: cùm aliâs (pluribus ſiquidem linguis regio iſta vtitur) Hungarica lingua peculiarē habeant appellationem. Regio hæc Tranſyluania admodum eſt populoſa, maxima ex parte Saxonum colonia, vt lingua ipſorum teſtatur, cùm Saxoniæ linguæ proprietatem magis obſeruēt quàm reliquorum Germanorum; non enim Was & Das, ſed Wat & Dat Saxonica dialectu proferunt: ita & regio hæc inter diuerſarum linguarum terras ac gentes ſita, Germanicè magis quàm Hungaricè loquatur (ſicut & Bohemia vndique Germanis cincta Sclauonico tamen vtitur idiomate) maximaque ex parte montibus, fluuijs. ciuitatibus, Germanica indita ſunt nomina. Montibus quoque auri minæris refertis diues eſt terra hæc, quanquam nec argenti, æris cyprij, ferri, ſaliſque inopia laboret. Vini etiam ſatis producit, rubei albique, quod tamen præſtantia ab Hungarico ſuperatur. Adhæc animalium & frumentorum prouentu felix eſt. Equos giggnit ſylueſtres, curſu velociſſimos, quorum ad terram vſque dependentes ſunt ceruicum crines. Boues etiam ſylueſtres, ceruicum curuatura ac magnitudine præſtantes; vros etiam procreat.

Qua Septentrionem regio ſpectat, territorium quoddam continet Siculorum, cuius incolæ viri ſunt militares, nullum vel nobilitatis vel ruſticitatis (vt ſic loquar) diſcrimen habentes; ſed omnes eiuſdem gradus ac dignitatis æſtimati; nulli, ſicut & Heluetij, domino ſubiecti. Tria habent loca, quas Sedes appellant, Kiedy videlicet, Orbay, & Scepſy. in his ſi quid de Repub. illis tractandum occurrit, conuentus ſuos habent; in iiſque Hungarica, non autem Germanica vtuntur lingua,

RVDIMENTORVM COSMOGRAphicorum finis.



LECTORI.



Vandoquidem admodum sibi cognatæ circumstantiæ sunt τόπος ϗ χρόνος, id est, locus & tempus: atque illud subiectum sit Cosmographiæ, hoc verò Chronographiæ: visum fuit in studiosorum adolescentum gratiam Epitomen hanc Chronicorum libello huic adiungere; vt si iam præcipuum Orbis terrarum situm obiter didicissent, breuiter etiam quid à prima eius Creatione vsq; in præsentem annum memoratu dignissimum in eo concepisset, perspectum haberent: perinde, vtilitatem ne aliquam an verò fructum ex ea capturi essent, saltem alterutro horum commodare ipsis potuerimus. Quas enim meas aliquando ferias & recreationes fuisse memini, easdem & reliquorum scholarium futuras augurabar. Boni igitur hac nostra qualiacunque πάρεργα consulant.

CHRO-

CHRONICI VNIVERSALIS EPITOME.



B initio (vt ſacræ tradunt literæ) Deus omnipotens & æternus creauit Cœlos Terras, Aquas, & omnia quæ in ijs ſunt. idque pro beneplacito ſuo perfecit omne intra ſex dierum ſpatium. Sexto autem die, cùm iam tota vniuerſitas ad finem perducta eſſet, etiam hominem ex limo terræ creauit, poſſeſſorem videlicet & rectorem omnium rerum quæ vel terra vel aqua produceret: eique adiutorium Euam adiunxit, conditam nimirum ex coſta ipſius viri Adami. atque hi ſeminarium ſunt totius generis humani.

15. Cain primogenitus primorum parentum naſcitur.

30. Abel frater Caini naſcitur: qui paſtor ouium factus ſacrificia Deo grata offert. Cain inuidia erga fratrem accenſus ipſum occidit.

Fraterno primæ maduerunt ſanguine terræ.

130. Seth filius Adami naſcitur, qui primus Cœli curſum obſeruaſſe perhibetur, primuſque literarum Hebraicarum inuentor.

930. Adam ætatis ſuæ anno nongenteſimo trigeſimo ex hac vita migrat, corpuſque eius in agrum Hebron delatum ac terræ mandatum eſt.

988. Enoch moritur.
1059. Lamech cùm iam esset centum duorum & octoginta annorum, Noham gignit.
1656. Diluuium totum terrarum Orbem inundans, genus humanum cunctorumque animalium submersit, præterquam eos quos Archa Noë seruarat.
1790. Nimroth turrim istam excelsam totius penè Orientis auxilio extruit quò scilicet se suósque ab inundationis periculo in posterum tutos reddat. Deus vanitatem ipsorum ridens, linguarum diuersitatem immittit; quæ eos ab incesto desistere cogit, exinde locus ille Babel nuncupatus, quod confusionem sonat.
1796. Nimroth in Persiã se dimittit; filiũ genuit Belum, qui clarus postmodo Astronomus factus. atque is est cui post obitum primus ab Aegyptijs cultus diuinus est tributus. Ascanes filius Gomeri versus Septentrionem sedes suas quærit. ab hoc Germani originem suam traxêre.
1947. Ninus Assyriorum Rex primam auspicatur Monarchiam.
1949. Abraham pater fidelium nascitur, Tharen habens genitorem.

Hoc tempore verus Dei cultus exolescere cœpit in regno Babylonico; & proficiscitur Thare pater Abrahami & Lothi ex Chaldæa in Mesopotamiam cum vtroque filio suo. vocat autem Scriptura hanc idololatriam ignem Chaldaicũ, Vr Chaldæorum: quod ignem Cælestem imitantem ad sacrificia idolorum eo abusi sint.

2006.

2006. Noa moritur.
2026. Abram in Aegyptum proficiſcitur.
2034. Iſmael naſcitur.
2047. Circumciſio Abrahamo & omnibus eius poſteris à Deo iniungitur.

Zoroaſtres Bactrianorum Rex floret, Aſtronomus peritiſſimus, ac primus Magiæ inuentor: in hora natiuitatis ſuæ non eiulaſſe, more communium infantium, ſed riſiſſe perhibetur. Tanaus primus Scytharum rex. Orus Apollo apud Aegyptios leges bonas condit, quas olim ab Abrahamo edoctus ipſe erat. Togarma qui & Magog, vnde Turci ſuam ducunt originem. Sambetha, quæ Sibylla Erithræa, floruit.

2048. Sodoma & Gomorra cælitus euertuntur. Iſaac filius Abrahami naſcitur. Defuncto Nino, & relicto paruulo filio, Semiramis mater pueri poſt obitum regis ipſa imperio præfuit. verebatur enim in tam nouo regno, & non ſubditis adhuc omnibus ſua ſponte, ne ob iuuenilem ætatem pueri populus ad defectionem properaret. Itaque ne ipſa propter muliebrem ſexũ contemneretur, vſa eſt virili habitu, ſimulauitq́; ſe regium filium eſſe. excelluit factis planè heroicis, & imperij fines regionibus adiectis & munitionibus adauxit. Imperauit feliciter & magna cum laude annis quadraginta duobus. Vrbem Babylonem ſumptuoſis ædificijs, foſſis, mœnibus circumductis firmiorem reddidit. Defuncta regina matre, Ninias filius in magna trãquillitate regnauit: & fuit hoc modo apud Aſſyrios

rios

rios faſtigium orbis & monarchia multo tempore.
2085. Moritur Zara vxor Abrahami, piarum matronarum exemplum.
2192. Moritur Abraham. Mannus & Hermion principes antiquorum Germanorum floruēre.
2238. Iacob filius Iſaac filij Abraham, cum liberis & tota familia in Aegyptum ſe conferunt, vbi à Pharaone Rege liberaliter excepti, Ioſephi Adminiſtratoris Curæ commendantur. Cres filius Demogorgonis primus Cretenſium Rex. Cambriuius, Vandalus, Teutonus, Germanorum Reges ac principes.
2255. Moritur Iacob in Aegypto.
2309. Moritur Ioſeph Iacobi filius. Ingeuō Germanorum princeps floret. Tithoës & Peloſucus fundatores & extructores Aegyptici labyrinthi in Heliopoli, vnde exemplar ſumpſit eius quem in Creta fecit Dædalus. Memphis hodie Alcair, totius Aegypti metropolis, & bona pyramidum pars in Aegypto extruuntur ab Epapho qui & Pharao dictus erat.
2371. Aaro ſummus ſacerdos naſcitur.
2373. Naſcitur Moſes frater Aaronis.
2453. Corinthus ædificatur. Exitus Iſrael de Aegypto. Decalogus Moſi per manus Dei traditur.
2462. Quinque libri Moſis conſcribuntur. Cecrops primus Athenienſium Rex, cuius etiam vrbis fundator extitit. Minos Cretenſium Rex Leges condit, & moribus populos ſuos bonis

imbuit. Dædalus & filius eius Iacarus celebres.
2493. Moriuntur Moses & Aaron, in terrá promissionis non ingressi vti sperabant.
2500. Magedon filius Osyridis nouum in Aemathia regnum auspicatur.
2550. Læstrigones gigantes in Italia potentes.
2600. Allobroges populi oriuntur. Iael Sisaræ caput clauo transfigit.
2730. Iosua supremus belli dux apud Israëlitas floret.
2747. Moritur Iosua anno ætatis suæ centesimo decimo. Cadmus Thebas vrbem Bęotiæ condit. Semele filia eius à Ioue compressa Bacchum parit. Idem Cadmus Gręcarum etiam literarum inuentor fuisse traditur: quam tamen artem literariam à Iudæis accepit.
2756. Priamus Troianorum Rex floruit.
2769. Hector filius Priami, Græcorum terror.
2770. Fortiter pro patria pugnãs multos Græcorum letho dat.
2776. Tandem ab Achille insidijs petitus occiditur. Qui non multo post à Paride Hectoris fratre contra fidem datam telo petitus interijt.
2779. Troia post decennalem obsidionem tã-dem quocunque modo capta à Græcis funditus euertitur.
2784. Aeneas profugus in Italiam deuenit.

2785.

2785. Lauiniam filiam Latini Regis Latinorum in Italia Aeneas sibi vxorem ducit.

2786. Lauinium vrbs ab Aenea condita.

2787. Latinorum Rex Aeneas post mortem soceri sui Latini constituitur.

2790. Ascanius Aeneæ filius post mortem patris Latinorum sceptrum capessit. Pylades & Orestes nobile amicorum par, exules circumuagantur.

Circe maga celebratissima, multorum herorum bona ingenia fascinat ac corrumpit.
Pelops peninsulam istam Græciæ, quæ postmodo ipsius de nomine Peloponnesus, hodie vulgò Morea dicta, gubernat. Pan Deus Arcadiæ, numen pastorum, primus fistularum inuentor.
Gedeon in sacris literis celebris, natus ex stirpe Manasses.

2691. Simson Israelitarum Iudex floret.

2814. Alba longa vrbs Latinorum extruitur.

2827. Samuel Propheta Dei in sacris literis celebris.

2882. Saulus iuuenis egregius, Israëlitarũ Rex propheta vngitur.

2891. Dauid in locum Sauli Regis à Samuele eligitur.

2931. Salomon Dauidis filius, cognomento sapiens, Regi parenti succedit. templum Deo ædificat.

2960. Atlas Arcas Mauritaniæ Rex floret, Astronomus insignis, vnde & Cœlum à poëtis

gestasse fingitur. Aeolus Rex Siciliæ, nauigatoriæ artis expertissimus, ventis sua imposuit nomina; vnde & Ventorum præfectus à Dijs ordinatus fingitur.
3000. Elias propheta à Deo in Cęlum raptus.
3001. Capys in Italia Capuam vrbem condit. Dido Phœnissa fratris sui Pygmalionis insidias fugiens in Africam cum appulisset, Carthaginē vrbem condit.
3049. Iosaphat Israëlitarum rex. Albula Italiæ fluuius postquam Tyberinus in eo submersus perierat, Tybris deinde nomen retinuit.
3109. Auentinus mons in vrbe Roma celebris, ab Auentino Syluio Latinorum Rege decimo tertio nomen suum traxit.
3146. Procas Rex Auentino succedit.
3150. Ionas propheta floret.
3169. Amulius vltimus Albanorum Rex.
3188. Homerus toto Orbe celebris, floruit.
3195. Romulus & Remus nati.
3213. Vrbs Roma ab eisdem conditur.
3214. Remus à fratre suo Romulo leuem ob causam necatus. præsagium futuri belli ciuilis inter Cæsarem & Pompeium. de quo & versus ille Lucani:
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
3215. Romulus primus noui huius Regni moderator, omnia ordine bono & iustitia administrat.
3251. Numa Pompilius Sabinus, vir sapiens & pacificus Romulo in Regno Romano succedit.

3255. Croton vrbs Italiæ, patria robusti istius Milonis, à Miscelo conditur.

3260. Tarentum ædificatur.

3284. Habacuc propheta à Deo missus.

3288. Hesiodus poëta Græcus floruit: parochus fuit apud Heliconem monté, vbi ingens & celebre templum erat. scripta eius magna ex parte conciones sunt de bonis moribus: continẽt quoque veluti iustum & perpetuum Calendarium institutum ad cursum Sol s & obseruationẽ illorum astrorum quæ anni discrimina ostẽdũt: libellus dignus est qui proponatur etiam edis cendus pueris.

3295. Tullus Hostilius vir primùm pacificus, tertius Romanorum Rex: strenuus deinde ac bellicosus factus ob vicinorum sociorum temerariam defectionem.

3299. Pugna in tres Horatios & tres Curiatios in qua mira Dei prouidentia vnus Horatiorum adhuc superstès, Curiatios singulos solus interimit.

3302. Hostilius Albam euertit, ciues in Romanam ciuitatem adsciscit. Imperatorem eorum Metium qui fœderis initi ruptor fuerat digno supplicio afficit. dare enim voluit in eo punien do insigne documentum hominibus, quomodo proditores puniri oporteat.

3304. Fidena vrbs ab Hostilio capitur. Ieremias propheta celebris.

3325. Bon Tuscorum Rex, Bononiensis vrbis conditor.

3326. Ancus Martius Hostilio in Regno succedit.
3350. Terquinius Priscus Anci Martij in Regno Romano successor.
3352. Iudith Holoferni Imperatori militum, caput suum aufert.
3357. Hierosolymæ captæ & vastatæ: Iudæi Babylonem captiui abducti.
3363. Daniel propheta floruit.
3388. Seruius Tullus Tarquinio Prisco succedit.
3432. Tarquinius Superbus post malitiosè occisum Regem Seruium, vi Regnum capessit.
3444. Haggai & Zacharias prophetæ florent. Cyrus Persarum Rex nascitur, cuius pater Persarum princeps ex posteris Sem oriundus, mater autem è Regio Medorum Stemmate. Et scribit Herodotus, Astyagi Regi Medorum per somniũ visum fuisse ex vtero filiæ suæ vitem enasci, quæ propagatione sua totam Asiam obumbraret. conceptum hinc omen est, potentissimum quendam principem eam parituram esse. itaque cùm iam nasceretur Cyrus infans, timuit Astyages, ne Regnum suum à Medis ad Persas aliquando trãsferretur. quamobrem præfecto aulæ suæ Harpapago pręcipit vt exponat infantem enecandum. Cæterùm cùm perimendum curaret infantem Harpagus, mirabili sanè fato seruatus est. Infans pastori traditur in montem deportandus, vt ibi fame intereat. iussusque pastor est non deserere donec perierit, & renũciare istud ipsum Harpago, vt veritatem facti posset referre Regi, & curare pro dignitate regij generis sepeliendũ puerum

rum. Sed quid fit? Sub idem fortè tempus quo in domum suam hunc infantem adfert pastor, mortuam prolem pepererat vxor eius: quæ vbi ex marito suo audisset exponendum hunc infantẽ, quem præter elegantiam formæ, regiam etiam alacritatem quandam præ se ferre agnouit; suadet ac rogat maritum vt suum hunc mortuum in viuentis illius locum supponat, sibique eum tradidit pro suo educandum. monet etiam, ne cædem in regiam sobolem committat, præsertim cùm ab hoc puero nihil periculi regno possit imminere, cùm pro pastoris filio educatus sit habendus. adhæc & regiæ voluntati satisfactum esse, si audiat pro certo, puerum mortuum defunctum esse. Acquiescit pastor vxoris consilio, renunciat Harpago, puerum mortuum esse. Ille missis aliquot qui videant, curat puerum sepeliri. atque hæc omnia Regi pro certo indicantur. Interim apud pastorẽ alitur Cyrus: & cùm paulatim succreuisset, statim regia indoles & alacritas apparuit in puero. nam magno honore & amicitia prosecuti sunt eum reliqui pueri coæquales. quin & puerorum more regnum instituit inter pueros: & si quis peccasset, hunc castigare solebat serio. Verùm accidit per hanc occasionem, quòd vbi nobilem quendam puerum ob peccatum verberasset fortasse durius, accusatus est apud pueri parentes, qui deinde querelam ad Regem detulerunt. Rex accersito puero atq; interrogato, admiratus est grauiorem in eo cõstantiam & prudentiam in respon-

dendo, quàm pro pueri ætate. Perculſus illicò animo, reputauit ſibi tempus quo pepererat ſua filia, & perueſtigatis omnibus circumſtantijs ætatis, temporis educationis, agnouit ex filia ſuũ nepotem eſſe, quem exponendum mandauerat olim. Cognitum iam retinuit apud ſe aliquamdiu in aula: & cum ob ſingularem probitatis indolem quæ relucebat in puero, nihil ſibi iam amplius timeret Aſtyages, remiſit eum in Perſiã ad parentes ſuos. Interim tamen ob admiſſum dolum grauiter infenſus Rex eſt Harpago, quòd non perfecerat, mandatum regium in occidendo olim puero. Iubet Harpagi minorem puerũ in aulam adduci: quod cùm feciſſet Harpagus, iuſſit Rex mactatum & deinde coctum Harpago neſcienti edendum apponi. Cæterùm cùm iam ſatur eſſet, præcepit Aſtyages amputatum caput pedes, & manus pueri indicari coram Harpago, vt videret proprij ſe ſui filij carnes comediſſe. Harpagus viſo capite agnouit factum Regis, atq; adeò vnde eius eſſet occaſio: ſed ſuppreſſo omni dolore, pro conſuetudine ſua, ſolita Regem obſeruantia & timore coluit: diſſimulans interim grauiſſimè ſe aliquando per occaſionem, hanc Regis tyrannidem vlturum. Ex eo enim nunquã deſijt Harpagus Medorum primores ac magnates ad defectionem ad Perſas ſolicitare, & vt Cyrum Regem ſubſtituerent: quin & Cyro quoque hoc ipſum indicauit, hortando eum vt Regnum inuadat, neque tyrannidem inultam manere ſinat, qua vſus ſit Rex in vtrumque. Atque vt lateat

inſti-

institutum, in lepore exeuterato epistolam occultat, eamque fido nuncio tradit ferendam Cyro in Persiam: nihilque nunciari iussit per nuncium, nisi vt Rex Cyrus ipse lepori detraheret pellem. Cyrus repertis literis & cognito consilio Harpagi, exercitum continuò parat, & proficiscitur aduersus Medos. Contra verò Astyages ad resistendum hosti copias educi iubet, quibus Harpagum Imperatorem præficit. sed is vbi ventum est ad pugnam, & se & totum exercitum suum vltrò dedidit Cyro. Itaque amisso Medorum regno, victus est Astyages. Cæterùm seruauit eũ Cyrus, & pro regia dignitate tractari iussit. Atque ita ob Regis tyrannidem Regnum Medorũ ad Persas est translatum. Hanc historiam epitomes terminos prætergressus totam inserere placuit, tanquam singulare aliquod diuinæ prouidentiæ, & tyrannidis vltionis exemplum.

3455. Lucretia vi doloque à Tarquinij Regis filio compressa, in testimonium innocentiæ suæ, ipsa sibi manus violentas infert. exemplũ Christianis non imitandum.

3457. Brutus primus vrbis Consul, fortiter pro patria occumbit.

3458. Horatius Cocles in ponte hostibus viriliter resistit, quo certamine etiam vrbem ab incursu eorum liberat.

3459. Mutius miles Romanus Porsennam Regem petens, Administratorem eius dum perimit propriam manum tanquam officio suo malè functam in conspectu Regis exurit, Rex obsidio ne-

ne desistit. Tarquinius itaque Rex Romanorum ob Tyrannidem, & maximè violentiam filij sui in Lucretiam commissam, vrbe pulsus, cùm nullam ipsi Persenna opem amplius ferret, cum tota stirpe sua in exilio vitam finire cogitur.

3464. Cyrus secundam iam Monarchiam auspicatus, Iudæos omnes in patriam terram liberos demittit.

3478. Vrbs Roma à Coriolano graui obsidione cincta, intercessione matris Veturiæ liberatur.

3489. Trecenti sex viri Romani qui omnes ex vna Fabiorum gente erant, vno die pro patria dimicantes pereunt.

3510. Templum Hierosolymitanum olim à Babyloniorum Rege destructum, beneficio Cyri à Iudæis denuò restauratur.

3516. Seditio magna Romæ exoritur propter Decemuirorum iniquam tyrannidem.

3690. Architas Mæchanicus insignis Tarenti floret. Sophocles poëta tragicus apud Græcos famosus. Socrates veneno necatur, vir innocentissimus.

3700. Milo Crotoniata athleta ille robustus, Thrasibulus, Conon, Lysander, Alcibiades, Themistocles apud Græcos celebres. Tertia monarchia ab Alexandro Magno inchoatur.

3701. Initium belli Punici.

3715. Pœni Marcum Regulum immani suppli cio enecant.

3749.

3749. Flaminius Consul cum omnibus copijs suis ad lacum Trasimenum fusus.
3750. Quadraginta milia Romanorum ab Hannibale cæsi.
3759. Hasdrubal à Romanis cæsus ac deletus, magno cum Hannibalis detrimento.
3774. Iudas Macchabæus vir militaris apud Iudæos floret.
3791. Apelles pictor insignis, similiter & Leusippus artifex celeberrimus hoc tempore florent.
3816. P. Terentius Afer Comicorum Latinorū facilè princeps Romæ viget. Nobilissimæ ac toto Orbe celebratæ vrbes Carthago & Corinthus à Romanis delentur.
3836. Romę lege cautum erat ne quisquam vitam degeret cælebem. M. T. Cicero Arpinas nascitur cōsulibus Cepione & Quinto Serrano.
3880. Crispus Salustius magnus Ciceronis æmulus in Sabinorum Amiternis nascitur.
3903. Coniuratio Catilinæ à Cicerone consule deleta.
3909. In exilium pellitur Cicero.
3910. Magna cum gratulatione totius vrbis reuocatur.
3917. Bellum ciuile inter Cæsarem & Pompeium nritur, ex leuibus admodum causis; imò ex sola inuidia non tam Pompeij quam hominum priuatorum in Cæsarem, qui eas prouincias affectabant quas habuit Cæsar. Occasio autem belli sic cæpit: Cæsar cum in Gallia esset opta-

adhuc pacis ſanciendæ conditiones non detrectaret Iulius, imò ſponte etiam offerret: tamen non deſijt reſpondere Pompeius, non recepturũ ſe pacis leges, priuſquam videret amputatum Iulij caput adferri. Id verò cùm audiſſet Cæſar, vehementer eſt commotus. Etſi enim iuſtiorem cauſam videbatur habere Pompeius, maiori tamen humanitate vti debuiſſet in tam pręclarum ducem, qui pacis fędera offerebat, & hoc ſolùm quærebat vt tutus eſſet & ſine periculi metu. Itaque cùm vidiſſet Cæſar, ex neceſſitate ſumendũ eſſe conſilium, inuaſit Pompeium & proſtrauit eum. Pompeius in Aegyptum profugit, vbi à iuniore Rege Aegypti, cuius patrem ipſe in Regnum reſtituerat, per inſidias occiſus eſt. Poſtea Cæſar occupauit Aſiam & Africam pariter, adeò vt in ſumma potentia totum Romanum Imperium ſolus teneret. Tanta hęc immutatio Reipub. Romanæ & calamitas ex leuiſſima occaſione initium cepit. nam hoc bellum & ſuperioris & inferioris ordinis hominibus luctuoſum fuit. habent enim hiſtoriæ ferè 200. millia hominũ cæſa eſſe in hoc bello ciuili.

3918. Quartam itaque & vltimam Orbis Monarchiam Cæſar inchoat. regnauit autem in pace non amplius menſibus quinque: & intra id tempus in toto Imperio Romano Annum iuxta Solis curſum curauit ordinari. adduxit etiam ex Aegypto Mathematicum inſignem, & primus autor fuit vt diſciplinę Mathematicæ in Italia colerentur.

3922. Idibus Martijs à Cassio & Bruto, eorumque complicibus in Senatu viginti quatuor vulneribus confossus Cæsar exspirauit. Interfectores autem hi omnes, licet Pompeij partes secuti fuissent, post partam victoriam à Cæsare nihilominus in gratiam recepti, pristinæ libertati restituebantur; retinere autem Cæsar Dictaturã sibi maluit, vt ab omni dolo & perfidia tutior esse posset.
3923. P. Ouidius Naso Sulmoni in Pelignis Italiæ territorio nascitur, omnium poëtarum ingeniosissimus, ita vt ingenio perierit Naso poeta suo. Cicero ab Antonio interficitur.
3933. Filius Ciceronis Oratoris Consul designatus.
3935. Antonius ab Octauio Augusto cæsus, fugæ consulit. Cleopatra ne in Romanorum perueniat manus, serpentum morsu seipsam enecat. Pomponius Atticus vir doctissimus, Ciceroni amicissimus, obit.
3947. Doctissimus poetarum Virgilius moritur, cuius ossa Neapoli condita requiescunt. Lollius magno militum apparatu contra Saxones missus, cum omnibus copijs in Germania cæditur. DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS TOTIVS MVNDI CONDITOR AC FVTVRVS REDEMTOR vigesimo quinto Decembris die nascitur in ciuitate Bethlehẽ, ex virgine cui nomen erat Maria, ex stirpe Dauidis regis.

ANNI

ANNI POST CHRISTVM natum.

1. Octauo ætatis suæ die, id est, Calendis Ianuarijs Iesus secundum ritum Legis circumciditur.
2. Herodes infantulos omnes Bethlemiticos, & in omnibus eorum finibus per satellites suos occidi procurat, quotquot eorum essent bimuli aut minores, iuxta tempus quod exactè cognouerat ex magis.
11. Essæorum secta hoc tempore admodum apud Iudæos celebris existebat.
12. Quintilius Varus ab Harminio cæsus, Duce Saxoniæ & principe Cheruscorum. præsidia enim Romanorum Coloniæ collocata in VVestphaliam & Saxoniam impetum fecerunt: erantque Cherusci Hercyniç Syluæ incolæ, ab ea parte quæ infrà circa Visurgim ad vrbem Bremam vsque tendit. Hermannus autem (qui in historijs Harminius dicitur) præter expectationem oppressit Romanos, & fudit eorum circa 21. millia: præterea ingentes copias sociorum pop. Romani, qui tum militiam cum Germanis exercebāt. Quintilius Varus Dux Romani exercitus sibi gladio mortem consciuit. De pugna commissa exactè Tacitus scripsit, nimirum inter Lupiam & Amisiam fluuios: hoc est, sub Cassella oppido, non longè ab vrbe VVestphaliæ Paterborna. sic enim inquit Tacitus: Quantumque Amisiam & Lupiam amnes inter, vastatum haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiæ Vari legio-

legionumque insepultæ dicebantur. Porrò ea strages non minorem metum atque terrorem incussit pop. Romano, quàm cùm Cimbri Italiã depopulabantur. etenim timebant Romani ne Harminius armata manu Imperium Romanum inuaderet & Romam vsque perueniret. Augustus periculi magnitudine adeo angebatur vt mandaret omnes vbique in armis esse. Lachrymans etiam & magno eiulatu sępe clamasse, fertur: Quintili redde legiones.
17. Claudius Tiberius Cæsar Augusto succedit. Titus Liuius historicus vita fungitur. Ioannes Euangelista à Christo vocatus.
22. Ouidius Naso miserè in exilio moritur.
26. Pilatus Iudææ præficitur.
30. Christus in Iordane baptizatur, atque inde prædicandi Euangelij munus aggreditur.
31. Lucanus poëta Cordubę in Hispania nascitur.
32. Ioannes Baptista ab Herode capitur & porrò capite truncatur.
33. aut 34. Christus per inuidiam & odium Sacerdotum capitur, & Pilato præsidi crucifigendus traditur. varijs itaque prius tormentis agitatus, tandem in Cruce vitam finit. cui morti etiãsi subducere se facilè potuisset, innocenter tamen eam perpeti maluit, vt nos à seuero Dei iudicio quod omnes manebat, hac ratione eximeret. Tertia autem die à mortuis resurgit. post dies autē quadraginta in Cœlum, vnde prius venerat, ascendit; mandatum Apostolis suis relinquens vt
per

per vniuersum Orbem Euangelium illud prædicent: id quod auspicantur statim à die Pentecostes, quando Spiritum sanctum è Cœlo acceperunt.

35. Stephanus diaconus Ecclesiæ, lapidibus à Iudæis obruitur. eodem anno Paulus ad fidem conuertitur.

38. C.Caligula Imperator Romanorum quartus eligitur.

55. Mero priuignus Claudij Cæsaris sextus Ro. Imperator eligitur.his primis quatuor aut quinque Imperij sui annis honestam egit vitam: postea verò omni flagitiorum genere se contaminat.deficientibus igitur ab eo pręfectis suis cùm quæreretur à Senatu ad supplicium,fugiens se ipsum interficit.

67. Sanctus Marcus Alexandriæ præsul in çarcere vitam finit,succedente sibi Aniano.

74. Titus Vespasiani Imp.filius, postquam vrbem Hierosolymitanam mense Aprili cùm Pascha celebraretur,obsidione cinxisset, mense Septembri eam capit,diripit atque exurit. Interea autem temporis tanta calamitas fuit in vrbe pręfame,seditionibus,& intestinis cædibus, quanta nunquam vlla in ciuitate fuisse legitur.

81. Prædictus Titus vndecimus Rom. Imperator eligitur,vir omni heroicarum viitutum genere præditus. Sub hoc Imperatore S.Lucas in Aithynia moritur. S.Bartholomæus in India, Matthias in Iudæa,Andreas in Scythia,Matthæus in Aethiopia, Thomas in Bragmania coronam

martyrij pro magistro suo nanciscuntur.

Ebionitæ à quodam Ebione facundo viro orti, Christum ex viro & muliere, purum hominē natum docent: legem Mosaicam necessariò seruandam esse statuunt.

83. Domitianus Rom. Imp. eligitur.

S. Ioannes in Patmon insulam relegatus Apocalypsin videt.

98. Nerua Rom. Imp. electus adoptauit Troianum, qui tum in Germania duxerat apud Colonienses.

99. Traianus Rom. Imp. electus, probitate adeò spectata fuit, vt postea semper quoties Imperator designaretur, publicis votis optari solēret, vt fœlicitate Augustum, & probitate Traianum adæquaret. Nunquam amplius patuit Ro. Imperium atque Traiani temporibus; & præter exempla Cæsarum reliquorum, vnus latissimè Orientales regiones occupauit.

100. Martialis poëta festiuus, Plinius, similiter & Sillius Italicus poeta floruerunt.

Ioannes Apostolus qui pulsus erat à Domitiano, Ephesum redijt ex Patmo insula.

Terræmotus quatuor vrbes Asiæ, tres Galatię, & duas Græciæ subuertit.

Philo Iudæus Alexandrinus, illustris habetur.

S. Simo consobrinus Iesu præsul Hierosolymitanus, anno ætatis suæ 120. martyr fit.

119. Aelius Adrianus Rom. Imp. electus: adoptatus olim à Traiano, princeps magnæ prudentiæ, & Astronomiæ peritissimus. indoctos literarum

rum profeſſores exauctorauit,ſed ſuis beneficijs aluit interim ne egerent,& eruditos ac vtiles ad docendum in locum eorum ſuffecit.

Ptolemæus inſignis Mathematicus,& Phauorinus philoſophus florent.

Eos ſubſecuti Suetonius, Aulus Gellius, & Plutarchus Cherôneus.

Xiſtus Papa inſtituit, ne ſacra vaſa à prophanis attingerentur:ne Epiſcopi à Pontifice vocati reciperentur à ſuis,niſi literas ſecũ ferrent pontificias.

140. Antoninus Imper. adoptatus ab Adriano Cæſar eligitur. vir tantæ modeſtiæ,vt vnum ciuem ſeruare laudabilius ſemper duxerit, quàm mille hoſtes interimere.

Aegeſippus hiſtoriam Eccleſiaſticam conſcripſit.Nec dum Chriſtiani conuenire, & publicitus religionis controuerſias componere auſi fuerunt.

163.Alcibiades dum ſolo pane &aqua viuere volebat,ab Attalo martyre caſtigatus, ad viam redijt,creaturiſque Dei vſus eſt.

194. Aelius Pertinax 19. Imp. iam ſeptuagenarius creatus, bene regnauit menſes ſex. cõfoſſus eſt à Iuliano, qui Cæſareum nomen à militibus emit. Didius Iulianus 20. Imp.regnauit menſes ſeptẽ. Iuris doctiſſimus fuit.occiſus eſt à Seuero

195. Seuerus 21.Imp.ſublato Peſcennio Nigro, Imperium occupat: & varijs periculis collapsũ Imperium reſtaurat. His temporibus Origenes fuit,qui Alexandriæ ſacras literas profeſſus eſt:

cuius libri postea reiecti sunt, quòd disputationes inutiles, & allegorias superuacaneas inuexerit. Postea receptum est vulgo philosoph am Platonis sacris literis immiscere; vnde plurima incommoda in Ecclesiam irrepserunt.

213. Antoninus Bassianus Caracalla 22. Cæsar, fratrem Germanum suum Getam in sinu matris occidit: nouercæ suæ coniugio copulatus est. Postulauit à Papiniano Iurisconsulto, vt parricidium in fratrem admissum excusaret: ad quod responsum à Papiniano est, Non tam facilè esse defendere parricidium, atque perpetrare. quamobrem ab Imperatore interfectus.

220. Opilius Macrinus 23. Imp. vnà cum filio Diadumeno regnauit non amplius vnum annũ, menses duos. vterque obtruncatus perijt.

221. Marcus Aurelius Antoninus Heliogabalus 22. Imp. regnauit annos quatuor. nullam de se nisi fœdissimæ bestiæ memoriam relinquens.

225. Alexander Seuerus 25. Imp. regnauit annos 13. clementissimè. in rebus omnibus vnius Vlpiani Iurisconsulti vtens consilio. Tertullianus Apher illustris habetur. Origenes Alexandrinæ Ecclesiæ doctor, & successor Clementis constituitur.

237. Maximinus 26. Imp. regnauit an. 3. cùm iuuenis esset, in Thracia pater fuerat, postea militiam secutus est: & ob inusitatam magnitudinem corporis, quam cum singulari audacia coniunctam habuit, eò sensim progressus est, vt Cæsar ab exercitu sine omni autoritate Senatus electus

ctus ſit. Ammonius philoſopus pius Alexandriæ floret.

241. Gordianus iam octogenarius 27. Imperator: regnauit vnà cum filijs annos ſex. hoc Gordiano Imperatore facto, tantæ magnitudinis Eclipſis Solis contigit. vt interea dum duraret, luminibus incenſis vti neceſſe fuerit. quin etiam terræ motus fuerunt, quibus perierunt & vrbes nonnullæ.

247. Philippus 28. Cæſar, regnauit annos 5. genere Arabs erant, & multis annis exercitui præerat.

252. T. Decius 29. Imp. interfectis Philippis regnauit annos 2. Fabianum Pontificem, & Cyprianum in Africa, multoſque alios ſanctos viros morte affecit.

271. Flauius Claudius occiſo Galieno Mediolani Imperator 32. eligitur. Sub hoc S. Laurentius diaconus, Claudius, Seuerus, Creſcentius, Hippolytus, & Romanus martyribus adduntur.

310. Conſtantinus cognomine Magnus, Conſtantij filius, cum Maxentio & Maximino Cæſar quadrageſimus. reſtituit in quietem & tranquillitatem priſtinum imperium. nam cùm crudeliter tyrannidem exercuiſſet Romæ Maxentius, victus Conſtantino in Tybri fluuio ſubmerſus eſt inter fugiendum. Effecit vt Nicænum Conciliũ cogeretur, vt hoc modo ſuis temporibus Eccleſiæ ſtatum tranquillum redderet. præterea & eleemoſynas & beneficia contulit ad doctrinæ Euangelicæ & miniſtrorum Eccleſiæ conſerua-

tionem.Conſtantinopolis vrbs ab hoc Cęſare ę-dificata,& ab eo nomen habet: cùm antea eodē in loco vrbs mercimoniorum frequentia inſignis Bizantium diceretur.Conſtantinopolim poſtea Imperij ſedes tranſlata eſt. Hoc tempore vixit Arrius hæreticus:Profeſſor erat in ſchola Alexandrina apud Aegyptios: doctrina eius in Concilio Nicæo damnata eſt.

S.Athanaſius floruit.

Helena mater Conſtantini Magni Crucem Domini inuenit.

365. Iulianus Apoſtata à Conſtantio Cæſare adoptatus,Imperator 42.creatus. hic etiam ſcriptis editis fidem Chriſtianam oppugnauit. aduerſus eaCyrillus ſcripſit diligenter:cuius liber etiamnum in oppido Phorzenſi inter Ioannis Reuchlini monumenta reperitur. Reſpondit & Nazianzenus Iuliano,ſed parum fortiter: nam non ſatis efficax erat ad eas calumnias diluendas,quibus in Euangelio confutando vſus eſt Iulianus.

395. Theodoſius Cęſar 48.cum Arcadio & Honorio filijs imperat.genere Hiſpanus fuit, totúque Imperium pacatum reddidit à Germania vſque in Aegyptum.

398. Arcadius Theodoſij filius 49.Cæſar,annis imperauit 13. S.Martinus Epiſcopus anno ætatis ſuæ 81.obijt,Epiſcopatus verò ſui 26.

S.Auguſtinus ornamentum Eccleſiæ,Ambroſij diſcipulus, ordinatur Epiſcopus Hipponēſis. hic collegia doctorum virorum (quibus Monachi

chi ſucceſsêre inſtituit. Vigilantius Gallus præſul Hiſpanus, ſanctos venerandos eſſe negat: diuitias paupertati præferendas eſſe docet.

Ioannes Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitanus doctiſſimus, illuſtris habetur.

411. Honorius 50. Imperator.

Theophilus Alexandrinus cum alijs quibuſdam Epiſcopis Conſtantinopoli ſynodum celebrant, Chryſoſtomum ſede deturbant, qui moritur Cumanis Euxini ponti.

456. Venit ex Aphrica Romam Genſerichus Vandalus, & fœdiſſimè vaſtauit vrbem.

460. Leo primus huius nominis Orietis Imp. 53. imperauit annos 16. Condita eſt hoc tempore Venetia in inſulis Maris Hadriatici, quò optimi quique ex Italia metu Attilæ confugerunt.

Prudentius & Sedulius Chriſtiani poetę illuſtres habentur. Odoacer cum Herulis & Turingis Italiam intrat, Imperatores vinçit, terram occupat.

547. Totilas Gotthorum Rex bellicoſus ad Placentiam Romanos vincit, omnia ſigna militaria capit, Romam occupat, Brutios & Lucanos ſubigit. Eruli Iſtrum incolentes Chriſtiani fiunt, accepta ob id ab Imperatore pecunia.

S. Brigitta Scotica multorum cœnobiorum fundatrix claret.

640. Rotharis Longobardorum Rex in Arianam ſectam prolapſus, in ſingulis ſuis ciuitatibus Arianum & Catholicum Epiſcopos haberi præcipit.

Anno Mundi 4590. Romæ 1382. Christi 630. Heraclij Imp. 15. Mahumetes in Arabia apud Agarenos qui hodie Saraceni dici volunt, prophetam se venditauit, & Regem pariter: idque ex hac occasione. Agareni in ingressu Arabiæ habitantes, semper prædationi & militiæ exercendæ dediti fuerunt. Iam verò concitati Persarum bellis stipendia meruerant sub Heraclio. & cùm renunciatum esset per præfectos Cæsares, non expectandam amplius esse spem stipendiorum, seditionem mouerunt aduersus duces Romanos. Porrò occasione huius tumultus publici, potentia Mahumetis crescere cœpit. Quando enim rectore carere non potuit vulgus facilè adhæserũt Mahumeti, qui reliquos omnes & propter opũ magnitudinem, & propter alias seculares virtutes facilè antecellebat. Cæterùm vt facilius in vnum aliquem & certum ordinem redigeret mores populi, statuit non modò in ciuilibus rebus certas leges condere: sed ad vnam aliquam & nouam formam religionis animos vulgi alligare, quò rectiùs in officio omnes continentur, neque exoriri posset dissensionis alicuius occasio. videbat enim varias & dissentientes passim esse opiniones de Religionis doctrina. Vnde mutantes hominum mentes, faciliùs Religionis formã à Mahumete præscriptam arripiunt, in qua summa illa fidei capita de Christo prætermittebantur; idque propterea, ne fidei doctrina porrò in ambiguas disputationes vocaretur: sed posita tantum in rationis captu, præciperet de ciuilitate mo-

te morum,& ratione rectè viuendi. Id verò plausibile cùm multis esset, amplexi sunt doctrinam eam permulti Iudæorum, Gentilium, Arrianorum,& Christianæ religionis apostatarum. atque ita homines dispari genere, dissimili lingua alius alio more viuentes, incredibile est memoratu quàm facilè coaluerint & creuerint potentia ad fortiter Romanis resistendum. Primùm enim cœperunt Arabiam & Syriæ partem subigere; nam Damasci regia Mahumetis erat: postea in Aegypto potentes facti sunt. Saraceni regnum dictum erat prius hoc regnum Mahumetis nam etsi erat Agarenus natione, tamen non sine magna causa mutauit nomen hoc; quòd promissio in Scripturis ad Abrahæ filios ex Sara prognatos pertinebat, & non ad Agar, ex qua nati erant Agareni. Cæterùm cùm prætexeret Mahumetes populum suum Deo gratum esse, atque adeò ad quem pertineret benedictionis promissio, vt dominarentur in toto Orbe (carnaliter enim interpretabatur omnes promissiones Scripturarum) immutato vocabulo de industria populum suum Saracenos appellauit. Sunt autem hi Saraceni potentes non in Asia solùm sed in Africa quoque facti: inde & in Hispaniam profecti, eius quoque magnam partem diu tenuerunt. Italiam etiam sæpè per incursionem ingressi sunt.

657. Vitalianus Papa, natione Campanus Eugenio succedit. is musicus insignis templis cantum instrumentalem, figuralem, & organa introdu-

troduxit. Rex Persarum cum vxore Cæsarea, & 40000. hominum, Constantinopolim proficiscentes baptizantur. S.Iodocus eremita filius regis Britanniæ insignis habetur.

670. Constantinus 4.Imperator 66. electus.

Beda Venerabilis in Anglia florens, Græcè & Latinè doctus, Scripturam interpretatur.

719. Leo 3.Isauricus Imperator 73.electus. Sub hoc Constantinopolis vrbs octo annorum spatio obsidionem passa est à Saracenis: qui propter famis & pestilentiæ magnitudinem summa calamitate pressi sunt in eadem obsidione. à Bulgaris tamen qui Cęsari opem ferebant, cęsi sunt: præterea quoque naues Saracenorum igne pecu liari arte facto sub aquis incensæ conflagrarunt.

D.Bonifacius in Germania Euangelium prædicat.

GERMANI CAESARES.

ANNO Mundi 4762. Romæ 1554. Christi 801. Carolus Magnus Romæ ipso die natalis Domini, imperatorio diademate cinctus est à Leone 3.Pontifice. Initium hoc est translati Imperij ad Germanos: ex translatione hac Italiæ & Occidentali regno potissimum caput & firmiss. præsidium contigit. Caroli Magni parentes Germani principes, & curiæ præfecti, adeoque primarij gubernatores apud reges Frācorum fuerunt: & officij delegatione Maiores domus tum dicti sunt. Id quoque fertur, hæreditarium

tarium eorum Ducatum & primum Dominium fuisse, vbi nunc Comitatus Palatinus est circa Rhenum fluuium. Certum enim est primum Palatini stemmatis ortum ex Caroli posteris fuisse. tandem verò cùm Regia Francorum progenies indies decresceret, hi autem principes potentiores fierent, factum est, consentiente summo Pontifice, vt Regni administratio ad hos principes transferretur. Pipino patre mortuo, Francorum Regno præfuit Carolus Magnus cognominatus, annos 32. ante adeptum Imperium: & postea Imperator factus regnauit annos 14. itaque in Regno & Imperio dominatus est 46. annos. natus autem est in Ingelheim, in Comitatu Palatino, non procul à Moguntia vrbe.

815. Ludouicus Pius Caroli filius Imperium auspicatur. Dania & Suetia sub Rege Hunoldo ad fidem Christi conuertuntur. Rabanus Fuldensis Abbas, postea verò Episcopus Moguntinensis floret.

856. Ludouicus 2. quartus Germanorum Imp.

Ioannes Scotus, alter à doctore subtili, monachus Benedictinus, iussu Caroli Gallorũ Regis, Dionysij Hierarchiam ex Græco in Latinũ vertit.

903. Edouardus Anglorum Rex expulsis Dacis, Orientalium Anglorũ regno potitus, extra Scotiam, totius insulæ Britannicæ imperiũ obtinet.

920. Henricus Auceps nouus Ger. Imp. electus.

987. Conc. Remense celebratur contra Ludouicũ Galliæ Regẽ, Caroli Magni stirpis vltimũ. Inde stemma Franciæ ad Hugonem Capetũ delatũ,

qui primus Gallus Gallorum rex electus est anno 988. præfuitque rebus vi & armis annos 9. neque diademate neque insignibus regijs vsus.

DE ORIGINE ET INSTITVTIONE *Principum Electorum in Germania.*

ANNO Christi 1002. vel circiter. Otho 3. Imp. iam natus annos 28. cùm ea esset ingenij promptitudine præditus, vt ob singularem prudentiam vulgò appellaretur mirabile Mundi; & cognitæ iam essent Saxonibus fallaces Gallorum technæ, animaduersumque esset, ingentes & periculosos motus & contra Cæsares & alioqui in Repub. excitari per Rom. Pōtifices, Brunonem Saxonem cognatum suum Pontificem creauit, in ordine 145. qui post adeptum papatum Gregorius 5. est appellatus. ab hoc coronam Imperij accepit Otho 3. Verùm vbi consideraret sapientissimus Cæsar perpetuò æstuare Gallos & Italos transferendæ Imperialis maiestatis cupiditate à Germanis, & inter Germanos quoque propter electionem nunquã dissensiones defuisse apud maiores suos; interim tamen tam potentem Monarchiam inprimis necessariam Christiano orbi ad tutandum Ecclesiæ ac Reipublicę statum in Europa; verùm hanc ipsam monarchiam stabilem permanere non posse, nisi & peculiaris cuiusdam, & potentissimæ nationis subsidio perpetuò firmata consisteret: tandem suffragatione & ope Pontificis Grę-

Gregorij (qui quia Germanus erat adeoque Saxonici sanguinis, in re tam necessario facilè annuit) tulit sanctionem principum Electorum in deligendo Cæsare. Atque vt concordia seruaretur in electione, religionis causa, inter sacri ordinis præsules & principes reliquos, delegata est ea autoritas constituendi Romanum Cæsarem septem Germaniæ primarijs principibus, Moguntino, Coloniensi, & Treuirensi Archiepiscopis. Additi his sunt, princeps Bohemiæ (tum enim Regni dignitatem Bohemia non habebat) Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandenburgensis. Hic mirum videri potest, qua de causa tam sublimis dignitas commissa non sit principibus alijs, qui tum temporis multò potentiores fuerunt, vtpotè Bauariæ, Sueuorum & Francorum ducibus, & præsertim Bauariæ Duci, qui præter alios proximus tum erat cognatus Othonis, & amplitudine ditionis potentissimus; nam Bauariam & Austriam vsque ad Aquilegiam subiectam habebat, quam Henricus Othonis primi frater vicerat. Quin & Sueuorum Dux affinitate proximus erat Othoni Cæsari. Etenim Sueuiæ dux Hermannus sub Othone primo, cùm non haberet hæredem masculum, tradidit in matrimonium filiam suam Ludolpho primi Othonis filio, aduersus quem bellum gesserat Otho pater. porrò ab hoc Ludolpho Sueuorum duces ortum habent. Sed videtur Bohemia propter situs conuenientiam, ad quod natura sit munita, in ius Electionis venisse. Saxonibus

ribus Saxonici sanguinis princeps Otho meritò eum honorem detulit: nam & potentia alioqui tum longè maximus fuit Ducatus Saxonicus. Brandemburgum tenuerunt tunc Saxonici quoque principes, cognati Cæsaris, & facilis coniectura est, fauisse Othonem impensius hisce regionibus quàm Ducatibus reliquis. Palatinatui videtur contigisse hanc prærogatiuam, vt is honos haberetur Caroli posteris: erant enim Palatini Comites ex genere Caroli Magni. Constituta hac ordinatione, Itali varios tumultus concitarunt aduersus Othonem 3. Studebant enim subinde nouis rebus contra Cæsares, neque vnquam materia tumultuum deerat. Expulso itaque per seditionem Gregorio (cùm absens in Germania esset Otho) suffecerunt in eius locum Ioannem quendam Placentinum, hoc nomine 17. in ordine 146. Sed magna vi reuersus Romam Otho restituit Gregorium 5. cognatum suum: & Ioãnem effossis prius oculis, & pontificatu malè vsurpato & vita priuauit. Verùm cùm Romæ diu tutus in tot insidijs esse non posset, dum proficiscitur in Germaniam, misso per insidias veneno à Crescentij vxore necatus est, anno æt: suæ 30. & sepultus Augustæ.

1057. Henricus 4. Imp. Germ. 16. electus. contra hũc à Pontifice Romano eligitur Rudolphus Sueuiæ Dux in Phorcensi oppido, idque sub annum Christi 1077. Rudolpho missa est à Pontifice corona, cui versiculus hic inscriptus erat:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

1080.

1080. Post varia commissa prælia nouissimè pugnat Henricus cōtra Rudolphum apud Mersburgum, & in ipso conflictu dextera manus Rudolpho amputatur. profugientibus iam in vrbem Mersburgum omnibus, Rudolpho in lecto decumbenti, circumstantibus iam Episcopis, manus allata est: quam vbi vidisset. En(inquit) domini mei Episcopi, hæc manus est quà domino meo Henrico Cæsari fidem confirmaui: ipsi vos nunc expendite, quàm piè consulueritis mihi vt ab eo deficerem.

1096. Godefridus Bulonius Lotharingiæ princeps innumerabili comitatus exercitu, terram Sanctam inuadit.

1099. Godefridus die 39. obsidionis potitus est vrbe Hierosolymitana, expulsis ibi Turcis ac Saracenis. Rex autem ibidem cùm creatus esset, coronari diademate aureo recusauit, quòd Christo eo in loco ex spinis contexta corona olim imposita fuisset.

1152. Fridericus Barbarossa Germ. Imp. 20. electus, ex inclyta Sueuorum domo progenitus.

VValdenses seu pauperes de Lugduno circa hæc tempora doctrinas varias seminant. hi iuramentum negant, & omnes orandi formulas præter orationem Dominicā superfluas existimant. præterea omnes sanctiones Rom. Ecclesiæ vt inutiles & superstitiosas tollunt.

Guilhelmus Aquitaniæ dux triplici catena cinctus Hierosolymam, Romam, & S. Iacobum petens, initia dedit ordini Eremitarum.

Petrus

Petrus Longobardus Parisiensis quatuor libros Sententiarum edit.

Petrus Comestor Scholasticam historiã conscribit.

1216. Clara virgo suum ordinem auspicatur, qui Minoritis subijcitur.

1225. Dominicus vir doctus & bonus Prædicatorum ordinem instituit sub regula B. Augustini, vt & mendicantes Eremitæ & Carmelitæ fuêre.

1227. S. Ludouicus in Gallia Rex illustris habetur.

Antonius discipulus S. Francisci claret.

Ioannes de Sacrobusto mathematicus Parisijs floret.

Accursius Florentinus Iuris interpres doctissimus agnoscitur.

Iordanes theologus Dominicanis silentium mensæ instituit.

Helias, Ioannes, & Albertus, armis inter se decertant pro successione S. Francisci in Abbatia.

Vincentius historicus prædiator insignis habetur.

Petrus martyr concionator vehemens agnoscitur.

1276. S. Bonauentura ordinem D. Francisci instaurat, libros sententiarum explicat.

1294. Cœlestinus 5. Eserniensis, anachoreta professione, Pont. Maximus creatur. Hic vir fuit pius & simplex, successoris sui Bonifacij 8. fallacia post sextum dignitatis mensem se Pontificatu

tu abdicans,& ad eremiticam vitam rediens, ex itinere à Bonifacio retractus, carceri includitur, vbi dolore animi ante tempus moritur, anno vno, mense 5. post initum pontificatum.

Circa hæc tempora Dantes Atigerius poeta Beatricem Florentiæ versibus celebrat.

1300. Temporibus Alberti Austriaci, genus Ottomanni (qui filius erat Zichi cuiusdam tenui conditione hominis) apud Turcas potentia, & æstimatione excrescere cœpit: ex cuius sanguine Turcici illi Imperatores qui etiamnum sceptro potiuntur originem ducunt. regnauit annos 25. & defunctus est anno 1328. sub Benedicto vndecimo.

1305. Pontifex patrum decreto Templariorum ordinem destruit, quòd ad Saracenos defecisse dicerentur, eorumque bona Rhodijs militibus concessit.

1350. Ordo militum D. Georgij siue Garteriorum, qui periscelidum insigne ferunt, in Anglia instituitur.

Ioannes VViclefius in Anglia contra Ecclesiam Rom. docet.

1360. Baldus Iurisconsultissimus Perusij illustris habetur.

Maximus Planudes monachus agnoscitur.

Bononia in potestatem Pontificis peruenit.

S. Brigida mulier deuotissima Suetiæ princeps cum quatuor filijs & totidem filiabus in Ecclesia lucent.

Catharina Senensis à monachis prædicatorum colitur.

1407. Ordo S. Hieronymi circa hæc tempora instituitur.
1410. Ordo Scopetinorum incipit.
Laurentius Valla circum hec tempora docet, Pontificem nullum ius aut munus Imperij habere. Ioannes Gerson theologus claret.
Poggius Florentinus agnoscitur.
1414. In initio sui Imperij Sigismundus Cæsar in Italiam transcendit. ac consultauit cum Pontifice Ioanne de publico Concilio cogendo, schismatis tollendi causa. ipse quoque ad Gallorum regē profectus est, & cum eo egit vt in conuocanda synodo consentiret. Proinde suffrāgatione Ioannis papæ, Cæsaris, ad hæc Franciæ, Hispaniæ, & Angliæ Regum, Constantiense Cōcilium inchoatum est anno 1414. in eo de Ioanne Husso tractatum est, & damnato eius dogmate, vnà cum Hieronymo Pragensi est exustus extra vrbem Constantiensem.
1430. Crebræ & ingentes expeditiones in Bohemiam adornatæ sunt aduersus Hussitas, quorum Dux Equestris quidam ordinis vir Zisca erat. hi mortem Hussi vindicare volentes templa simul & vrbes Pontificiorum diripiunt, nec vlli Clericorum parcunt. Ingens clades vtrimque commissa est in Bohemios & Germanos qui contra eos profecti erant. neque tamen hoc modo incendium restinctum est. Narratur de Sigismundo historiola festiua: Ministrum familiarem habuit multis annis. in quem parum fuerat liberalis, quanquā interim munificentia & largiendo cla-

clarissimus erat princeps id quod Leonardus Aretinus scribit,qui viderat Sigismundum Cæsarem,& Pontificis nomine multas coram eo causas egerat.Porrò accidit vt cùm amnem esset ingressus,equus ipsius meieret: quod vbi vidisset minister,qui propè antecessit Cæsarem, per iocum inquit: equi eandem esse naturam quam & dominus haberet. atque audiens hoc ipsum per occasionem Cæsar mirabatur, iubebatque indicari hoc dictum.Respondit minister: In amnem vrinam spargere equum, vbi iam ante humoris satis esset(sic & erga illos beneficum esse Cæsarem, quibus iam antea opes affluerent satis,nec haberent illis admodum opus. Animaduertit Imperator Sigismundus, perstringi se modestè, quòd in ministrum tam veteranum nihil beneficij peculiaris aut eximij contulisset: & subiecit.nunquam quidem sibi benemerendi voluntatem defuisse, sed principum dona non illorũ esse propriè qui ea mererentur, sed quibus fato destinatæ essent: & id re comprobaturum se dixit,quum primùm otij & quietis occasio tantisper daretur. Postea otiũ nactus,pyxides duas parari iussit magnitudinis & formæ eiusdem: in vnã aurum,in alterã plumbũ ponit,pondere eodẽ:& ministro aduocato,præcipit vt alterã harũ deligat. Consternatus minister librando modò hanc modò alterã pyxidem tollit,nesciens vtrã debeat potissimum eligere. tandem eam aufert pyxidem quæ plumbũ continebat:quod vbi conspexisset ille,iã reclusa pyxide,aiebat Cæsar,videri

uemus,& ciuilibus magis ac inteſtinis bellis delectamur.
1459. Conradus Celtes poetarum ex Germanis primus naſcitur.
1486. Hermolaus Barbarus, Angelus politianus & Ioannes Picus Mirandula, Iouianus Pontanus, Philippus Beroaldus, circa hæc tempora florent, & paulò poſt Raphael Volaterranus, & Georgius Valla Placentinus.
1494. Maximilianus Cæſar Imperium ſuum auſpicatus eſt.
1501. Crucis imagines veſtibus hominum inciderunt paſſim in Germania. verùm ſimile quidem iam ſæpè antea factum erat.
1510. Quatuor monachi prædicatorum ſimplici fraterculo ſumma calliditate ſtigmata ſanctitatis inſigentes ad Franciſcanorum contumeliam, dolo detecto, comburuntur Bernæ in Heluetia.

Ioannes Reuchlinus Capnion Theologus Hebraicas literas in Germania docet.
1517. Remiſſio & venia ſcelerum omnium indulta à Leone Pontifice per vniuerſam Chriſtianorum ditionem, ijs qui aut nomina darent, aut bona ſua erogarent in expeditionem Turcicam: quæ Cruciada vocitata eſt.

Hoc tempore Martinus Lutherus Saxo, ordinis D. Auguſtini, primùm aduerſus Indulgentias Pontificis ſcripſit, mox etiam maiora auſus: vnde non pauci nec parui tumultus in Germania orti ſunt. quare ipſe cum ſuis ſequacibus à Ro. Pontifice hęreſeos damnantur. anno 1518. & 1520.

Huldrichus Huttenus eques Germanus eruditione innotescit.

1519. Carolus 5. Maximiliani Cæsaris nepos, Hispaniæ Rex, princeps Austriæ & Burgundiæ, Cæsar Germanus ab Electoribus designatur. Mittitur ad annunciandam hanc electionem Carolo Fridericus Comes Palatinus in Hispanias. Itaque sequenti statim anno appulit in Germaniã Carolus, & imperiali corona Aquisgrani exornatus est.

1521. Turca Belgradum (quæ est Alba Græca) in Hungaria propugnaculum Christianorum expugnauit.

Eduardus Dux Buchyngamiæ in Anglia capite damnatur, 11. Cal, Maij.

Hoc anno cùm latè serperet per Germaniam doctrina Lutheri, atque adeò in Anglia per multorum capita grassaretur, rex Henricus 8. in fidei Catholicæ & sacramentorum assertionem præclarum volumen edidit: quod cùm Leo papa in Cardinalium suorum cœtu perlegisset, approbato collaudatoque catholici regis iudicio, Regem ipsum posterosque ad perpetuam pij instituti memoriam, Fidei defensoris titulo insigniuit.

1522, Leo Papa moritur.

Adrianus 6. Germanus, Vltraiectinus, præceptor Caroli Imperatoris, moderatæ vitæ homo, in eius locum sufficitur.

1524. Franciscus Rex Galliæ apud Papiam in Longobardia à Cæsarianis militibus in conflictu

ctu captus est,& postea in Hispanias perductus: quem Cæsar anno proximo in Galliam remittit duobus regis filijs natu maioribus obsidibus receptis. Duces istius prælij fuêre Nicolaus Comes Salmensis, Georgius Fronbergius Eques, Marcus Sittich Dux Borbonensis qui à Gallo ad Cæsarem prius defecerat, Marchio Pisqueranus.

1525. In Germania horribiles & ante nunquam auditi motus à seruis rusticis in Alsatia, Sueuia, Francia, Thuringia, & in illis terris quæ ad Rhenum sitæ sunt, excitabantur. motus hi magna vi & armis ægrè compositi sunt: adeò vt intra menses saltem tres, supra centena rusticorum millia in conflictu occubuerint, non aliter atque pecora trucidati.

A Solymanno Turca cæsus est Ludouicus Hũgariæ Rex, Buda direpta, & Hungaria ferè tota igne & ferro vastata.

1527. A Duce Borbonensi Cæsarianus miles Romam perductus est, vrbs obsessa & capta ac direpta.

Dux Burbonius in oppugnatione sclopo percussus interijt.

Pontifex obsidionis necessitate coactus, in Angelica arte captum se dedit Cæsarianis; sed eum pro singulari clementia sua liberum dimisit Cæsar, ac pristinæ dignitati restituit, vt tranquillitati Catholicæ hoc modo consuleret. quidam scribunt 40000. aureorum redemptum esse ab hostibus.

1528. Albertus Durerus pictor, cælator, inuentor(breuiter)omnium ætatum summus artifex, Noribergæ in patria sua moritur. huius ad arté mœchanicam spectantes libros vidi,partim legi;opera eius in ligno & ære cælata quotquot extant vidi omnia: pauca etiam eorum, quamdiu Deo placuerit,possideo.

1529. Petrus Flisted & Adolphus Clarenbachius Coloniæ exustum.

1530. Florentia Cæsaris auxilijs à Clemente pótifice obsessa deditionem facit, sed Clemens omnis clementiæ immemor,crudeliter in Florentinos sæuit.

Ferdinandus Caroli 5.frater,Rom.Imp.eligitur:& anno sequenti Aquisgrani coronatur,mése Ianuario.

1531. Conflictus magnus Helueticarum vrbium inter se Religionis causa, in eoq; Tigurinorum concionator Huldrichus Zuuinglius procumbit.

1532. Rex Christiernus in Dania à suis capitur, & in arce z underburg captiuus asseruatur.

1533. Elisabetha Henrici 8. regis Angliæ, & Annæ Buloniæ, filia nascitur 7. Id. Sept. Maria Catharinæ filia hæreditario principis titulo se abdicare coacta.

1534. Otto Brunsuelt medicus clarissimus Bernæ moritur.

1535. Christianus dux Holsatiæ, Rex Daniæ creatus est. cùm iam totum regnum contra Lubecenses vindicasset,capta Hafnia metropoli eius

Reg-

Regni. eſtque coronatus à Ioanne Bugenhagio Pomerano paſtore Eccl. VVittenbergenſis.

1536. Non eſt hoc loco ſilentio inuoluendum, ſtrenuum fœminarum Fani Riquerij, oppiduli in Picardia exemplum. nam cùm & ciues & milites præſidiarij admodum pauci eſſent, & grauiter à Domirino quodam ſignifero in exercitu Ruthi ducis Cæſariani opprimerentur, hoſtibuſque ceſſuri viderentur: fœminæ muris admotæ, aquis feruentibus, cineribus ignitis carbonibus permixtis, ſaxis, ſudibus, & quicquid præſens neceſſitas hortabatur, hoſtem tanquam Lacenæ quædam fortiter repellunt, & duo ſigna hoſtibus extorta in ciuitatem referunt: cogiturque magno ſuo pudore ac damno inde abſcedere.

Eraſmus Roterodamus Baſileæ in Chriſto moritur:

1540. Guilhelmus Cliuiæ dux fide à Ferdinando Imp. accepta, Gandauum venit. Huius anni æſtas valdè torrida fuit & ſicca, ſupra æſtates multas præcedentes. fuit & vini præſtantiſſimi tanta copia, vt vaſa non ſufficerent. ſed fœni, olerũ, & reliquarum rerum naſcentium, ex quibus eſculenta confici ſolent, propter ingentem ſiccitatem magna fuit penuria. ſiliginis tamen tolerabilis fuit prouentus.

Budæus vir eruditiſſimus Pariſijs vbi & natus eſt, moritur.

Eobanus Heſſus poeta Germanorum celeberrimus obijt, 4. Oct.

1541. Simon Grynæus, vir omni genere litera-

rum doctiſſimus Baſileæ moritur.
1543. Carolus Imp. ex Hiſpania Tarracone ſoluens, Genuam appulſus, in Germaniam tranſit: vbi collecto valido exercitu Durenam Iuliacenſis ducatus vrbem Cliuenſium præſidio munitā, vi expugnat, diripit, incendit. qua clade VVilhelmus Dux conſternatus, & à ſuis proditus, ad Cæſaris pedes ſupplex procidens, veniam impetrat tradito in poteſtatem Caroli Ducatu Geldrenſi. qua rei indignitate mater Ducis adeò perculſa eſt, vt paulò poſt è viuis exceſſerit.
1547. Adolphus in locum Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis, qui Eccleſiam ſuam reformabat, mediante Pontifice, ſubſtituitur.
1548. Ioannes Fridericus Dux Elector Saxoniæ, Electionis iure & dignitate priuatur: atque eius loco Mauritius Dux Saxoniæ Elector à Carolo 5. confirmatur. factum hoc in Auguſtanis comitijs 6 Cal. Mart.
1551. Magdeburgenſes poſt longam obſidionem tandem æquis conditionibus pacem impetrant.
1553. Non eſt omittenda hîc diuinæ vindictæ ratio: Quidam tenui fortuna homo Venetijs à patricio viro debebat habere ad 300. aureorum ſummam. Libello petit pauper, patricius conuitijs immeritis excipit miſerum: & vt ſolent grādiores muſcæ in aranearum telis, eludere volens hominem, petit dilationem octo dierum ad reſpondendum, & iurat, vt ſi quid fraude aut dolo contra pauperem facit, vt ſtatim miſerè pereat (conſtabat autem illum falsò iurare) mirum

mirum dictu, statim vbi est extra palatij scalas delatus, ædes monetarias adiens concidens apoplectico similis, & sexto post die moritur.

1557. Albertus Marchio Brandenburgensis moritur Pfortzhemij 8. die Ian.

Ioannes Dux Palatinus Cymbrensis fato functus, Fridericum filium suum successorem relinquens, huius nimirum Friderici 4. auum, qui hodie Elector Imperij agnoscitur.

1559 Mortuo Christiano Danorum Rege, Fridericus filius victis aduersarijs, hac æstate in multorum principum frequentia 20. die Augusti rex Daniæ inauguratur.

1560. Philippus Melanthon Germanus libris suis non paucis orbi nostro satis notus, extremum vitæ diem anno sibi climacterico Vitebergæ obit, 19. Apr.

1562. Christophorus VVirtenbergicus cum aliquot alijs principibus, Tabernis Alsatiæ conuentum habuit, vt Guisianos fratres Galliæ proceribus reconciliaret. simulabant enim illi, se à doctrina Euangelicorum non vsque adeò esse alienos: eaque de re Cardinalis ipse conferebat cum Ioanne Brentio Theologo VVirtenbergico. hacq; ratione occasio futuris calamitatibus Galliæ est data.

Simultas quædam inter Regem Daniæ, & Regem Suetiæ exoritur.

1564. Andreas Hyperius Marpurgensis Academiæ Rector, scriptis suis toti Orbi Christianorum notus, Cal. Apr. vita fungitur.

1567.

1567. Iussu Imperatoris Maximiliani 2. vrbs Gothensis cum arce Grimmenstenia, totius Imperij sumptibus obsessa, per deditionem capta, ac deleta: VVilhelmus Grunbacchius Eques Francus qui arcem permissu Ioannis Friderici tenebat, cum alijs aliquot magni nominis Equitibus (qui sicut & ipsi ab Imperatore proscripti erãt) publico supplicio addicuntur.

1576. Maximilianus 2. Ferdinandi Imper. filius, moritur. in eius locum eligitur Rudolphus 2. Maximiliani filius.

1580. Franciscus Dracus, nobilissimus Angliæ Eques, toto terrarum Orbe, duorum annorum, & mensium decem spatio, zephyris fauentibus circumducto, Angliam sedes proprias, 4. Calen. Oct. reuisit: cùm antea portu soluisset Id. Dec. anni 1577.

1588. Thomas item Candisius, felicissimus Draci æmulus, etiam ex Anglia per vniuersum Oceani ambitum, sed minori damno & temporis spatio circumuectus: vigesima enim prima Iulij die 1586. nauem conscenderat, & 15. Sept. in patriæ portum Plymmouth vnde prius exierat, magnis diuitijs, & cum omnium admiratione reuertitur.

Classis Hispanica, quæ incredibili apparatu Angliam petebat, ab Anglis, Batauis, & Zelandis duce dracone profligatur ac penè deletur.

Sinan Bassa collecto exercitu 11000. Turcorũ, cùm Hungariam totam depopulare statuisset, & Sixensibus agris iam multum damni intulisset, à Clau.

à Clau.Russello petitus,supra 25000.Turcorum iacturam fecit, præter trecentos qui in Schayo flumine submersi periêre. Successu hoc animosiores redditi nostri,Turcorum postea terras aggrediuntur, Blawenstenium, Gestesium, ac castella plura recuperantes.

1593. Comitia in Pragensi vrbe celebrantur, quòd certus venisset nuncius de bellico Turcorum in Christianos apparatu impigro.

21.Octobr. Ferdinandus Hardecchiæ Comes suburbia Albæ Regalis vi capit,plurimisque ibi Turcis occisis incendio ea destruit.

8.Decemb.Sabarca à Friderico Tieffenbachio obsessa ac postridie capta est;in qua supra 250. Turcorum occubuêre.

14.Decemb.Fileca in Christianorum potestatem redit.

Quindecim Turcorum millia à Budensibus subsidio missi Hadwanensibus, à nostris delentur.in eodem itinere Iaspirinum ab ijsdem recuperatur.

Strigonium à Matthia Archiduce obsidione cingitur.

Comaram Turca obsidet,re tamen infecta relinquere eam cogitur.

1594. Gerardus Mercator iam centenarius ferè Duisburgi moritur. quem opera eius eximia Cosmographica immortalitate donabunt.

1595. 8.Ian.Amurathes Constantinopoli moritur;succedit ei Mahumetes 3.filius eius natu maximus.

Caro

Carolus Mansfeldiæ Comes ex Belgio accersitus mense Iunio, circa Dotim 29000. viror ũexercitu spectatur, traditionem muniminis istius sibi poscens. Inde castris motis ad Strigonium peruenit. 2. Iulij Rascianam vrbem sine omni molestia capit. 4. Iul. propugnaculum in monte S. Thomæ locatum ipsi cedit.

Gockarn munitio insignis è regione Strigoni armata manu à nostris capitur.

Turca sedecim virorum millibus Strigonio auxilium ferens à Carolo Mansfeldiæ principe sternitur.

10 Aug. Insulam Vizzen nostri inuadunt, opimis inde spolijs secum ablatis.

Vrbs aquatica à nostris vi capitur, in qua circiter 600. Turcorum trucidati.

3. Sept. Munitissimum illud Strigonium deditione in nostrorum potestatem peruenit, in qua mille & quingenti Turci, omnes viri militares inuenti: hi cum vxoribus & liberis suisque cuiuis sarcinis, quatenus dorso ab illis gestari poterant, demissi sunt. Atque ita demum in Christianorum manus redijt propugnaculum hoc celeberrimum, postquam quinquaginta duobus annis Turcæ illud tenuêre.

1598. Iauerinum ab Adolpho Schwartzenbergio stratagemate forti ac felici capitur: ob cuius victoriæ (quæ profectò non exigui momenti erat) felicem euentum, epigramma hoc imagini ipsius supponere placuit:

Monte

Monte suum à Nigro ducens cognomen Adolphus;
Natus Agrippinas, patriæ decus, vnica stirpis
Gloria, Pannonicæ cladis fortissimus vltor;
Sensit vt in capto Iauerino Turcica pubes.

Albertus Austriacus Maximiliani 2. Imp. filius Isabellam Philippi 2. Hispaniarum Regis filiã, & Philippi 3. moderni Regis sororem matrimonio sibi iunxit.

1599, Ioannes Archiepiscopus Treuirensis, ex Schonenbergensi stirpi ortum trahens, in Domino obdormiuit. Successit ei Lotharius, ex nobili Materniciorum genere oriundus, vir singularis prudentiæ, doctrinæ, ac humanitatis, tantæque eloquentiæ, vt extemporali sermone suo elaboratissima etiam scripta adæquare possit.

Ioannes VVilhelmus, VVilhelmi filius, Dux Iuliacensis secundas nuptias celebrat cum Antonetta Lotharingiæ Ducis filia.

Bommela vrbs in Vahalis insula sita, graui obsidione ab Hispaniæ Regis militibus in hunc vsque diem cingitur.

Germanorum quidam proceres vt quemcunque militẽ ab Imp. Romani limitibus arcerent, exercitum per VVestphaliam ad Embricam & Rhœsam vsque vrbes deducunt: quos hoc authumno in suam quenque terram rediisse fama est.

Rumoldus Mercator, Gerardi filius, felicicissimus parentis sui æmulus, intempestiua morte præuentus, præclara multa opera inchoata posteris (si quis eorum ad ea aptus fuerit) perficienda reliquit.

TABV-

TABVLA ANNORVM MVNDI EX Biblijs & Philone.

A Creatione Mundi vſq; ad Diluuium fluxerunt anni	1656
A Diluuio vſque ad Abraham	292
Ab Abraham vſque ad natum Moſen	425
A nato Moſe vſque ad Exitum de Aegypto, & datam Legem	80
Ab Exitu de Aegypto vſque ad templum Salomonis	480
Ab inchoato templo vſque ad Ioas Regem	138
Ab Ioas vſque ad tranſlatum Iechoniam in Babylonem	291
A tranſmigratione vſque ad deuaſtationem Hieruſalem per Nabuchodonoſor	11
A deuaſtatione & captiuitate Babylonica vſque ad populi liberationem	70
A populi liberatione quæ facta eſt anno primo Monarchiæ Darij & Cyri, vſque ad Alexandrum Magnum	191
Ab Alexandro Magno vſque ad Iudam Machabæum	164
A Iuda Machabæo vſque ad tyrannicum principatum Herodis	129
A tyrannico principatu Herodis vſque ad Chriſti in carnem aduentum, ſeu conceptionem (nam 32. anno cœpit legitimus Herodis principatus)	32
A natiuitate Chriſti vſque ad proximas Calendas Ianuarias	1600

Anno

Anno Mundi 3961. Christus natus est, Olympiadis 194. anno quarto inchoato tribus mensibus, videlicet 8. Cal. Ian.

Roma vrbs (teste Eutropio) stetit ante natũ Christum 753. annos: & vt reuocetur ad calculum annorum ratio, aliter supputari non potest ex veris historijs.

Anno hoc præsenti 1600. exacti sunt à condita vrbe Roma 2353. anni. Tam vetusta Babylon non erat ante Alexandrum. nam ab Abraham vsque ad tempora Alexandri, anni sunt 1686. Iam verò cùm Roma vetustior sit Babylone, multi inueniuntur qui credant finem eius iam procul abesse non posse.

Neque verò multùm discrepat numerus annorum qui in Biblijs est, ab ordine Monarchiarum apud præcipuos scriptores historiarum Græcarum. Herodotus scribit Assyrios tenuisse Monarchiam 520. annos, & interea vsque ad Medorum tempora nullam firmam Monarchiam fuisse. Tribuit autem Medis vsque ad Cyri imperium annos 130. Id verò vt minimè falsum videri potest, ita vehementer probandum. nam si quis rectè expendat, is facilè intelliget à Biblijs sacris non dissentire. Quòd Assyriorum Monarchiam stetisse dicit annos 520. id haud dubiè referri vult ad illud tempus, quo regnum Babylonicum & Niniuæ vrbis nondum diuulsum erat. atq; adeò cùm apud Babylonem Assyrij tantùm imperabant.

Agathias lib. 2. de bello Gotthorum scribit, Ctesiam

ſiam & annorum numerum,& ordinem Monarchiarum ita poſuiſſe.Erat autem Cteſias Græcus qui cùm Ataxerxes Mnemon & Cyrus iunior inter ſe belligerarentur, in expeditione vnà fuit, ac medium egit. Captus in bello deductus eſt tandem in Babylonem: vbi non ſordidè tractatus eſt.ac tum perlectis hiſtorijs rerum Babylonicarum, ab initio eius Regni annorum numerum in ordinem digeſſit,ad hunc modum:A Nino vſque ad initium regni Medorum qui primũ ab Aſſyrijs defecerant,ſunt anni 1360.& hunc ordinem ſequuntur omnes qui ſcripſerunt poſtea, Diodorus Siculus lib. 3. ſic ſcribit: Similiter & cæteri reges ad Sardanapalum vſque triginta regnum tenuêre:cuius tempore Aſſyriorum Imperium, quod tamen 1360. durauerat, quemadmodum Cteſias libr. 2. tradit,ad Medos tranſijt. Iuſtinus ſic ait:Imperium Aſſyrij,qui poſtea Syri dicti ſunt,annos 1300. tenuêre. Herodotus prætermittit aliquid interea, dum collapſum Aſſyriorum regnum ad Medos peruenit.Quin & fieri poteſt, hos annos Cteſiæ ab initio Babylonis, hoc eſt, à Nimroth, non à Nini temporibus eſſe intelligendos.

Medi poſt defectionem ab Aſſyrijs regnauerunt vſque ad Cyrum circiter 300.annos, quemadmodum Agathias ex Cteſia colligit.

Perſarum regnum vſque ad Alexandrum durauit annos 238.vt ſcribit Agathias & Græci ſcriptores plerique.

Alexander & eius poſteri Babylonem tenuerunt

runt ad id vſque tempus, quo Perſarum potentia creſcere cœpit: & ponit Agathias 300. annos minus 7. atque id eſt ab Alexandro vſque ad Augusti tempora. Poſtea in Oriente regnarunt Parthi annos 10. vſque ad Cæſaris Alexandri Seueri tempora. ac tum Artaxerxes Perſa vltimum regẽ Parthorum Artabanum transfodit, atque ita Orientale regnum ad Perſas rediit, qui deinde potentia claruerunt ad Mahumetis vſq; tempora: nam poſteri Mahumetis inuaſerunt Perſas, & totius Arabię imperium occuparunt. Atque ita demum varijs mutationibus agitata Orientis regna, ſubinde ab alijs populis ad alios ſunt tranſlata. Operæpretium imprimis eſt hæc omnia reputare, vt omnium temporum & hiſtoriarum ordo ritè cognoſcatur.

ORACVLVM HOMERICVM QVOD vaticinatur de Imperio Romano.

Ηδη γὰρ πριάμου γενεὴν ἤχθηρε κρονίων,
Νῦν δὲ δὴ αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοίκεν μετόπισε γένωνται.
Nunc genus inuiſum Priami Saturnius odit:
Sed pius Aeneas Troas dominabitur inter,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

DE ORDINIBVS RELIGIOSIS.

ORDINES Religioſorum plures in Eccleſia Catholica progreſſu temporum ſunt inſtituti: quorum hic aliqui inſigniores ordinatè ſubiunguutur.

Ordo communis clericorum à beato Petro Apoſtolo, & alijs Apoſtolis inſtitutus eſſe traditur.

Ordo monachorum in eremis Aegypti & Nitriæ, tempore S. Antonij abbatis inſtituitur, & roboratur, diuerſis tamen conſtitutionibus.

Ordo monachorum S. Baſilij, quibus ipſe Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus Cappadociæ regulam tribuit, ab eo originem habuit.

Ordo Canonicorum Regularium à beato Auguſtino Epiſcopo inſtituitur: quibus regulam dedit, ſub qua plures ordines reguntur.

Refloruit hic ordo anno 1080. ſub Iuone, & poſtmodum etiam anno 1380. reformatus eſt.

Ordo monachorum nigrorum S. Benedicti ab ipſo inſtituitur. quibus regulam ſcripſit; ſub qua etiam plures ordines monachorum comprehendūtur.

Ordo Cluniacenſis ſub Oddone ſumpſit initium, anno 913. vt refert Vincentius in Speculo hiſtor. lib. 35. & S. Antoninus in ſecunda parte Chronici, tit 15. cap. 16. 6 1.

Ordo Camaldulenſis à B. Romualdo initium ſumpſit in eremo Camaldulenſi, anno 1012.

Ordo Vallis vmbroſæ à B. Ioanne Gualberti Florentino accepit exordium anno 1070. ſub quo

quo sunt Syluestrini eodem habitu, à quodam Syluestro dicti, qui eum ordinem inchoauit in monte Fano prope Fabrianum in Marchia Anconitana.

Ordo Grandimontensis sub Stephano papa in cepit anno Domini 1076.

Ordo Carthusiensium initium habuit Parisijs per Brunonem patricium Coloniensem *von der Hardfaust* anno 1086.

Ordó Cistertiensis & primum eius cœnobium fundatur anno 198.

Ordo Templaris militiæ S.Ioannis Ierosolymitani cœpit anno 1120.

Ordo Præmonstratensis cœpit anno Domini 1120.

Ordo Humiliatorum licet incœperit anno Domini 1017.tamen confirmationem accepit ab Innocentio 3. anno Domini 1200. vt affirmat S. Antoninus in 2.parte Chronicæ.titul.15.cap.23.

Ordo Prædicatorum à B. Dominico inchoatur in partibus Tholosanis an.Dom.1203.sub Innocentio 3.Sed postea confirmatur per Honorium 3.ann.Dom.1216. mense Decemb. die seq. feuum S.Thomæ Apostolj.Moritur inde B. Dominicus Bononiæ an.Dom.1221.8.Id August. hoc est die 6.eiusdem mensis,feria 6.Festum tamen eius die præcedenti,hoc est,die 5.celebratur,ex institutione Greg. papæ 9. vt patet in bulla canonizationis eius, vbi dicitur: Satuentes firmiter,ac vniuersitati vestræ præsentibus iniungentes, vt Non. Aug. ante diem quo posita carnis sarcina

diues meritis penetrauit in sancta, similis sanctorum factus in gloria eius natalicia celebretis.

Ordo Minorum à B.Francisco inchoatur post an.Dom. 1206. scilicet post suam conuersionem sub Innocentio 3. Sed postea confirmatur per Honorium 3.anno Dom.1223 mense Nouemb.in vigilia S.Andreæ Apostoli.Inde obijt B.Franciscus 4.Non.Oct.die Dominica,ann. 1226.Horum autẽ monachorum Minorum suo tẽpore 60000. fuisse,scribit Sabel.En.9.lib.9.

Ordo Cruciferorum licet quidã dicant quod initium habuerit à Cyriaco Episcopo Ierosolymitano, qui prius Iudas dicebatur, & ostendit Helenæ locum vbi crux Christi iaceret, posteaque martyrio coronatus est: tamen confirmatur secundum quosdam per Innocentium quartum post annum Domini 1243.

Ordo Eremitarum S. Augustini confirmatur per Alexandrum quartum post annum Domini 1256.

Ordo Carmelitarum reformatur per Honorium 4. anno 1287.

Ordo seruorum beatæ Mariæ à beato Philippo ad formam redigitur,& confirmatur post reformationem Carmelitarum.

Ordo Cœlestinorum, sic à Cœlestino dictus, confirmatur anno Dom.1297 per Bonifacium 8.

Ordo S.Brigidæ virorum & mulierum ab eadem instituitur, & approbatur per Vrbanum 5. an.Dom. 1370.

Eodem

Eodem tempore incepit Societas Iesuitarum, sub Ioanne Columbino Senensi.

Ordo montis Oliuarum instituitur eodem anno Dom. 1370.

Ordo Mendicantium S. Hieronymi instituitur anno Dom. 1407.

Ordo Canonicorum habitus Cœlestini S. Georgij de Alga, per Laurentium Iustinianum instituitur eodem anno.

Ordo Scopetinorum siue S. Saluatoris cœpit anno Dom. 1410.

Ordo Minimorum S. Francisci de Paula, confirmatur per Sixtum 4.

Alios ordines parum nominatos omittimus. hæc ex Ioanne Lucido descripta sunt.

FINIS.



SEQVVNTVR ETEOSTICHA aliquot à diuersis authoribus facta, quæ cum studiosis adolescentibus aliquo modo profutura existimarem, ex varijs libris collecta, subijcere ea placuit.

Albertus Magnus obijt 1382. æt. 87.

ALberte es fato properantI Magne soLVtVs:
TangIs V bI ætatIs LVstrabIs oCtotVæ.

Ioan. Hussus exustus 1415. 6. Iulij.

BIs qVarta ILLVXIt MësIs QVIntILIs Vt HVßVs
ConstantI Constans VstVs In Vrbe perIt.

Obsidio Nouesiana 1476.

Non InCLInabItVr In seCVLVM seCVLI.

Carolus Burgundius occidit 1456.

NoCte regVM sVCCVbVIt CaroLVs.

Rudolphus Agricola obijt 1485.

QVaterCLara IaCet trIbVs HeyDeLberga DeabVs
RVrICoLa è terra raptVs In astra fVIt.

Gallus cæsus 1521.

RegIa sVCCVMbIt pVgnaCIs LILIa GaLLI.

Huttenus obijt 1523.

IgnIfer In tepIDo fVLsIt SoL sIDere LIbræ
HVttene Vt CæSI teCta beata CapIs.

Bellum Rusticanum 1525.

CaptVs erat GaLLVs CoeVnt CVM rVre Cohortes

Roma capta 1527.

ALtera post Captos GaLLos popVLIqVe fVrores

Aestas

Aestas te Capta RoMa CrVentafVIt.

Vienna obſeſſa 1529.

Cæsar In ItaLIaM qVo VenIt CaroLVs anno.
CInCta eſt RIphæIs noſtra VIenna GetIs.

Bilibaldus obijt 1531.

ConsILIo Vt PyrghayMerVs bonVs eXIt ab orbe:
SoL propè ContaCto PIſCe peregIt Iter.

Zwinglius occidit 1531. æt.44.

ODCVbVIt patrio beLLator CIngLIVs enſe,
Et preſſa eſt armIs gens popVLoſa sVIs.

Ioan. Stoflerus obijt 1531. æt.80.

ConDItVr hIC fato fVnCtVs StofLerVs acerbo,
TerreſtrIs gnarVs sIDereæqVe pLagæ.

Aliud.

PIſCIbVs Vt raDIans DeVs InsIgnIta per aſtra
StofLere InIeCIt ParCa VbI VInCLa tIbI.

Huldricus Zaſius obijt 1535. æt.74.

AetherIs Vt sVperæ ſVCCeſsIt ZasIVs arCI
Eôs arMIgerI ConſpICIt aſtra IoVIs.

Aliud.

IVrIs honoratI ZasIVs CeLeberrIMVs aVCtor,
A neCe CorreptVs, terra VaLeto ſonat.

Eraſmus Rot. obijt 1536.

LVſtra peraCta VbI bIs ſeptē areCenſet EraſMVS
LVCIfera è terrIs. CeſsIt In aſtra ſeneX.

Eobanus Heſſus obijt 1540. æt.52.

DICIte TheſpIades fLetVs, ELegeIa LVge:
HoC HeſsVs ſaXo gLorIa Veſtra Iacet.

Guilhelmus Budæus obijt 1541. æt.73.

Guilhel.Budæus obijt 1540.æt.73.
OCCVbVIt CLarVs fato BVDæVs InIqVo.
Astrææ In Castæ SoLe seDente sInV.

Simon Grynæus obijt 1541.æt.48.
Grynæe es DVro resoLVtVs CarCere CarnIs:
Vrbs RhenI IVnCta est qVa BasILea VaDIs.

Nicolaus Copernicus obijt 1543.æt.70.
EX hoC eXCessIt trIstI CopernICVs æVo:
IngenIo, astrorVM CognItIone potens.

Matthias Zellius obijt Argent.
1548.æt.71.
OCCVbVIt CeLebrIs feLICI sorte MathIas
VIX tamtVs nostra presbyter VrbefVIt.

Aliud.
PhœbVs VbI rVtILās CaprICornI sIgna reLIqVIt
ZeLLI Care, qVIes Mors tIbI VIsa fVIt.

Gaspar Cruciger obijt 1548.
æt.45.
FertVr In AeMonIo Latonæ fILIVs arCV:
Vt CrVCIger fatI noXIa teLa tVLIt.

Vitus Theod.obijt 1549.
HaC trIstI CLaVsVs VItVs TheoDorVs In Vrna.
NorICIDæ popVLI pastor, & VrbIs honos.

Paulus Fagius obijt 1550.æt.45.
SoLe orto VoLVCrVM regIna LeVatVr In ortV
FagIVs Vt sensIt teLa CrVenta neCIs.

Martinus Bucerus obijt 1551. æt.61.
CVrrIt Vt obLIqVo per PIsCes traMIte PhœbVs:
BVCerVs feLIX regna sVperna CapIt.

Gaf-

Gaſpar Hedio obijt 1552.

EXtVLIt ora ſeqVens OCtobrIs LVCIfer IDVs:
HeDIo VbI parCæ Lege ſoLVtVs obIt.

Munſterus obijt 1552. æt. 63.

QVIntILIs fVerant LVCes Vt qVInqVe peraCtæ
MVnſtere è VIVIs te CIta parCa rapIt.

Iuſtus Ionas obijt 1555. æt. 63.

IVſtVs Vt OCCVbVIt perCVLsVs fVnere Ionas
Frons CVM SoLe Nepæ Tethyos Intrat aqVas.

Ioan. Sleidanus obijt 1556.

æt. 50.

Vndenas luſtris trieteridas adde trecentis
Octoq́; Sleidani tempora mortis habes.

Ioan. Forſterus obijt 1556.

æt. 61.

ReLLIqVIt VItæ eXtInCtVs ForſterVs Vt aVras:
ACronICho Caſtor ſVrgit aD aſtra graDV.

Ianus Cornarius obijt 1558.

æt. 58.

EXCeLLens PhœbI CornarI VIrIbVs artIs
EXVVIas ſoLVIt ParCa MaLIgna tVas.

Andreas Hyperius obijt 1564.

æt. 53.

FLanDrIa qVeM genVIt, HaſſIa noſtra tegIt.

Georgius Maior obijt 1574. æt. 72.

FeLICI Vt genVIt MaIor te Vrbs NorICa LVCe
PestVVs OrIon Veſpere LæVVs obIt.

Frid. 3. Pal. Elect. obijt 1576.

TVa LVX trIſtatVr aManDe.

Ferti-

Fertilitas sub initio Belli Coloniensis 1583.

Arqor, agrI, VItes sVnt haC æstate feraCes,
MIraqVe ConIVgII CopVLa beLLa parIt.

Aliud.

NVLLa fVere saTIs CapIendIs DoLIa VInIS
HoC anno, teLLVs sIc copiosa fVIt.

Rheni inundatio an. 1584. in Ianuario.

HoC taCItI Iano fVIt VnDa sVperfLVa RhenI.
Et CLaDes agrIs IntVLIt hIsce feras.



CHRONICAE EPITOMES
FINIS.

W

